Ch. Ladewig Analecta Scenica. Neustrel. 1848
4. [40 pag.] cf. Schneidewin Gött. G. Anz. 1848 p. 1356,
Dietsch in Jahn's Jahrb. 1848 Vol. 53 p. 457–462.

DE

M. PACUVII DULORESTE.

SCRIPSIT

HENRICUS STIEGLITZ

PHIL. DR.

LIPSIAE

APUD CAROLUM CNOBLOCH.

MDCCCXXVI.

„Utinam integrum exstaret grande illud Pacuvii drama, et intercidissent potius languentes aliquot atque elumbes recentiorum foetus!" —

Broukhusius ad Propert. IV, 1, 115.

IOANNI STIEGLITZ

MED. DR. AUG. REGI HANNOV. A CONSIL. AUL. ET ARCHIATRO
ORDINIS GUELPHICI EQUITI,

LUDOVICO STIEGLITZ

MENSARIO PETROPOLITANO

PATRUIS OPTIMIS,

FRIDERICO IACOBS

ET

AUGUSTO BŒCKH

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

SACRUM ESSE VOLUIT AUCTOR.

PROOEMIUM.

Si ulla in re locum tenet proverbium, *Ex ungue leonem*, praecipue valet in fragmentis, quae ex vetere Romanorum tragoedia, sparsa quidem hic illic et specie parum luculenta, re tamen ipsa egregiorum nobis servata sunt ingeniorum documenta. Tantum enim abest, ut de neglecta apud Romanos tragoedia *), vel de rei semel coeptae parvis incrementis **); vel de deficiente Romanos ad hoc poëseos genus indole, qualia omnes fere, qui hac de re dixerunt, viri docti proferunt, querendum sit, ut iis adstipulandum esse

*) Torkill. Baden, de causis neglectae a Romanis tragoediae. Gottingae 1789, 8.

**) Henricus Planck, in Prolegomenis ad Ennii Medeam, Gottingae 1807, 4.

censeam, qui memores egregiarum, quae ad nos pervenere, reliquiarum, vindicare tragoediam Romanis diligenter studuerunt γ), et qui haec studia *longe patentem honoris et gloriae campum, materiem artis largam et vix ab uno exhauriendam* δ) esse monuerunt. Certe non spernendam aetas, quae talibus insignis est fragmentis, poëtarum seriem habuerit necesse est. Quae quo accuratius cognovi, eo vehementius adamavi, eo maioris semper aestimavi. Quanta enim in Accio sublimitas, quanta in Naevio audacia, quanta in Pacuvio gravitas dignitasque, quanta in omnibus illius aetatis poëtis animi et ingenii vis elucet! Lingua etiam prisca, licet horrida interdum atque dura, gravitate longe superat recentiorem, quamvis elegantiorem et politiorem.

Attamen hae dotes non prohibuerunt, quominus fragmenta poëtarum illorum per duo fere saecula plane intacta a viris doctis iacerent. Nam quo tempore Mercerus novam cu-

---

γ) A. G. Lange, vindiciae tragoediae Romanae. Lipsiae 1823, 4.

δ) Naekius, in commentatione de Pacuvii Duloreste, quam lectionum Bonnensium catalogo hiemis 1822 — 23. praemisit. 4.

ravit editionem Nonii [*]), cuius opera plurima tragicorum Romanorum fragmenta nobis servata sunt, cum eadem via iam alii felici cum successu, ut Muretus, Scaliger, processissent, magnum studium inter viros eruditione praestantes harum ex optima Romanae poësis aetate reliquiarum viguisse videtur. Haud magno enim temporis spatio Mercerum praecesserat Henricus Stephanus, qui sua diligentia edidit illa, quae pater Robertus collegerat, fragmenta ζ). Is est, quem omnes fere qui postea huic rei operam dederunt, secuti sunt; eique paullo post successit Hieronymi Columnae illa Ennii editio, quae omnibus est dux, qui postea de Ennio aliquid scri-

---

[*]) *Nonii Marcelli* nova editio cum Fulgentio et notis in Nonium et Fulgentium. ex officina Perier. Parisiis. 1614. 8.

ζ) *Fragmenta* veterum poëtarum Latinorum, Accii, Valerii, Aeditui, cet. Collecta digestaque a *Roberto Stephano* et *Henrico filio*. Parisiis. 1564. 8.

Ex hac Roberti et Henrici Steph. editione petita sunt, quae continentur in Corpore poëtt. Latt. h. t:

Corpus omnium veterum poëtarum latinorum, cet. ed. sec. Aurel. Allobrog. excud. Sam. Crispinus. 1640. 4.

Quo in libro multa sunt et putida vitia typographica, et fragmenta etiam sine ordine disiecta, ita ut plurima fragmenta ex Duloreste sub aliarum fabularum nominibus laudentur.

pserunt [ν]). Eodem tempore Delrius fragmentis tragicorum veterum operam adhibuit, cuius editio postea bis repetita est [ϑ]). Tertia, qua in comparandis variis lectionibus usus sum, eodem anno lucem vidit quo Scriverii collectanea, quae aucta sunt doctissimi I. G. Vossii Castigationibus [ι]). Quo in studio si plures perrexissent, fieri non potuisset, ut posteriorum multi hanc apud Romanos artis partem tam parvi aestimarent; qui et Horatii de veteribus poëtis iudicio inducti, et illorum fragmentorum parum curiosi, tragoediam Romanam, quasi nulla unquam praeter turgidas et inflatas Senecae fabulas exstitisset, contemptui habuerunt. Itaque ab eo inde usque ad nostrum tempus, quo F. H. Bothe omnia tragicorum illorum fragmen-

---

ν) *Q. Ennii* poëtae vetustissimi *fragmenta*, quae supersunt, ab *Hieronymo Columna* conquisita cet. Neapoli. 1590. 4.

Eadem repetita est curante *Fr. Hesselio.* Amstel. 1704. 4.

ϑ) *Martini Antonii Delrii*, ex societ. Iesu, *Syntagma* tragoediae Latinae, in tres partes distinctum. Antwerp. 1594. 4. Lutetiae Paris. 1607 et 1620. 4.

Totum opus vitiis typographicis scatet.

ι) *Tragicorum veterum fragmenta*, a Petro *Scriverio*, notis illustrata a Gerh. Io. *Vossio*. Lugd. Bat. 1620. 8.

ta iterum collegit *), tantum abest ut quisquam virorum doctorum simili collectioni operam navaverit, ut eorum etiam, qui singulos tractare sibi proponerent, exstiterint perpauci λ). Quae enim Th. ab Almeloveen opusculis suis adiunxit, fragmenta septem et viginti poëtarum, tam pauca sunt atque tenuia, ut vix digna memoratu sint μ). Bothio vero, quamquam in singulis saepissime ab eo discedam, de opere suo maximae agendae sunt gratiae. Ita enim rem instituit V. D., ut non exiguum auxilium ad singula,

---

*) *Poëtae scenici Latinorum*, collatis Codd. Berol. cet. cet. recensuit *F. H. Bothe*. Volumen quintum. Fragmenta. Halberstadii. 1823. 8.

λ) Inter hos numeranda est *H. Planckii* de *Ennii Medea* dissertatio inauguralis, cui Prolegomena praemisit de origine atque indole veteris tragoediae apud Romanos. Gottingae. 1807. 4.

μ) Omnes, quorum perpauca, nonnullorum fortasse unum tantum, continet fragmenta, poëtarum nomina laudata sunt in titulo libelli, qui simul cum eius opusculis prodiit Amstelodami apud Ianssonios Waesbergios. 1686. 8.

Dolui, me „Opera et fragmenta veterum poëtarum Latinorum, profanorum et ecclesiasticorum, duobus voll. comprehensa, cura *Mich. Maittaire*. Londini. 1713. fol.“ nancisci non potuisse. Ceteris ad rem meam pertinentibus libris Viri praestantissimi, *Ph. Buttmanni*, tum regiae, tum suae bibliothecae thesauros recludentis, singularis benignitas liberrime utendi copiam mihi fecit. —

quibus opus est, fragmenta facilius inquirenda atque cognoscenda praebeant. Nemo tamen hucusque quidquam ad tragoediarum argumenta restituenda attulit; neque apud Bothium quidquam invenies praeter aliquot adnotationes de personis, quae fortasse hunc vel illum versum protulerint; at nisi ex ratione argumentorum concinnantur fragmenta, fieri non poterit, ut satis perspiciatur eorum praestantia atque magnificentia. Itaque, cum vehementer optarem, ut aliquis vero rei amore incitatus iis tractandis operam adhiberet, subnatum est consilium, meas ipsius vires, licet fortasse nondum pares tanto operi, ad vindicias tragoediae Romanae applicandi, eiusque fragmenta denuo examinata ita componendi, ut quae sit singularum fabularum ratio et qualis poëtarum natura, ex ipsis appareret eorum reliquiis rectiusque perspici posset. Quae res quam difficilis sit, nec me fugit, neque quemquam fugere potest; quoniam magna pars fragmentorum non addito fabulae unde desumptae sunt nomine afferuntur, plurimarum fabularum exiguae laciniae exstant, unde vix summam argumenti elicias. Illud denique, quod omnino necessarium mihi videbatur, ut reliquiis

quantumvis laceris assignaretur locus, quo poëta eas posuerat, interdum e verbis ipsis certus, plerumque coniectura callida reperiendus, hoc vereor ne multis audacius ac plane temerarii hominis esse videatur. Attamen intelligo, hac tantum via assequi nos posse, ut poëtae imago et ratio, qua artem suam tractaverit, ante animum nostrum ponatur. Quae cum ita sint, periculum faciendum esse censui, quousque in hoc genere progredi impune liceret.

Iam ut eligerem Pacuvii Dulorestem ante reliquas fabulas tractandum, commovit me tum ipsorum, quae ad illum pertinent, fragmentorum copia, tum egregia commentatio, brevis quidem, sed eruditione et acumine plena, quam de hac Pacuvii tragoedia lectionum Bonnensium catalogo (hiemis 1822—23.) praemisit Naekius *), vir in his rebus versatissimus. Hoc enim viro, quocum in plurimis mea de hac fabula convenit sententia, duce tutius primos gressus facere licebat; deinde reliqua, meis ipsius viribus confisus, summa cum oblectatione persecutus sum.

*) Hic enim auctor est, non Heinrichius, quem *Lange* in scriptione exoptatissima, quam de Vindiciis tragoediae Romanae ante aliquod tempus edidit, bis terve laudat.

Ceterum omni opera data adhuc mihi comparare non potui singularem de Pacuvio libellum, quem laudat Harles. p. 266. introductionis in notitiam litteraturae Romanae p. 7., inscriptum:

„Memorie de M. Pacuvio antichissimo poëta tragico da *Annibale di Leo*. Napoli. 1763." *)

---

*) Rarissimum hunc esse libellum, vel in ipsa sua patria, testis est *Tiraboschi*, qui in opere: „Storia della letteratura Italiana, Modena. 1772. 4." parte III. l. 2. p. 103 sq., postquam breviter antiquorum scriptorum de Pacuvio iudicia composuerat, haec addit: „Una Dissertazione intorno alla Vita di Pacuvio ha publicato l'anno 1763 il Canonico Annibale di Leo, di cui non ho potuto vedere che un brevissimo estratto nella Gazzetta Letteraria di Francia. Tom. VI. p. 78."

In novissima editione operis Tiraboschiani (Milano. 1822. p. 230. 8.) addita est nota: „Il ch. sig. can. Annibale di Leo mi ha poi gentilmente trasmessa copia delle sue Memorie di M. Pacuvio qui da me accennate, e che sono scritte con molta erudizione e con uguale esattezza. Egli prova assai bene che la nascita di questo poëta dee fissarsi circa l' anno di Roma 534; osserva che Cicerone benche riprendresse talvolta lo stil di Pacuvio, parlò nondimeno più volte con molta lode delle tragedie da lui composte; nomina gl' illustri amici ch' egli ebbe in Roma, e riferisce l' elegante ma semplice iscrizione sepolcrale ch' ei medesimo si compose e che ci è stata conservata da Gellio, mostra che non ha alcun fondamento ciò che narrano alcuni, cioè ch' egli avesse tre mogli, e che tutte e tre si applicassero a una medesima pianta; ci dà un esatto catalogo di tutte le opere di Pacuvio, altro fino a noi perve-

Quo cum caream, ad Poëtae vitae lineas describendas nihil ad manus fuit nisi singuli veterum auctorum de eo loci. Sagittarius *) enim nihil aliud fecit, quam ut paullo uberius ceteris, qui locos veterum de vita antiquorum illorum poëtarum composuerunt **), adspergeret suas animadversiones per sane tenues.

Periculum igitur faciamus initio opusculi, vitae Pacuvianae momenta paullo accu-

---

nute, altre perite; e reca finalmente ad esamina il giudizio che delle poësie di Pacuvio han date gli antichi scrittori." Quae faciunt certe, ut desiderium eius libri leniatur. Tamen magnam sane gratiam haberem ei, qui hunc mihi compararet, quo ad proxima de Pacuvio studia lubentissime uterer.

*) *Sagittarius* in commentatione de vita et scriptis Livii Andronici cet. Altenburgi. 1672. 8. de Nostro agit p. 36 — 40. Liber hic, quem *Koepkius* Prolegomm. ad conversion. Plauti Comoed. tom. I p. XLIX dicit rarissimum atque in bibliothecarum recessibus frustra a se quaesitum, invenitur inter libros Diezii, qui sunt bibliothecae Regiae Berolinensis pars. Maxime vero adsentiendum est *Fr. Osanno*, qui in Analectis criticis p. 9, de hoc libro dicit, neminem, qui norit, magis magisque eum delitescere deploraturum.

**) *Harles.* in Introductione in Not. Liter. Rom. p. 265 et 66. *Petronius Crinitus* de M. Pacuvio, qui invenitur in Corp. Poett. p. 348. *Vossius* de Poëtis Latinis p. 6. *Tiraboschi*, qui in historiae litt. Italicae vol. primo pauca etiam verba de Pacuvio facit; et ceteri, qui, tantum ne praetereant nomen, suo loco eius mentionem fecerunt.

ratius describendi, veterumque de eo iudicia ita connectendi, ut qualem in fragmentis nobis relictis eum reperimus, talem suae ipsius aetatis viris praestantissimis apparuisse perspicuum fiat.

Berolini, XVIII. Iul. MDCCCXXVI.

DE M. PACUVII VITA
ET
SCRIPTIS.

I.

Marcus Pacuvius natus est Brundisii [1]) circa annum Urbis conditae quingentesimum trigesimum quartum, ante Christum natum ducentesimum vigesimum [2]), eadem patria qua Quintus Ennius Rudiensis, cuius sorore fuit genitus [3]). De eius educatione nihil nobis

1) Hieronymus in Chron. Euseb. p. 138, A. ed. Burdigal. 1604, fol. In ed. Veron. 1740. p. 576.

2) Cic. Brutus, 64: „Quanquam id quidem omnibus usu venire necesse fuit, quibus paulo longior vita contigit, ut et cum multo maioribus natu, quam essent ipsi, et cum aliquanto minoribus compararentur. Ut Accius iisdem Aedilibus ait se et Pacuvium docuisse fabulam, cum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset." Atqui Accius natus est (Hieronym. in Chron. Euseb. Ol. CLX.) Serrano et Mancino Coss. A. U. 584. A. Chr. 170.

3) Plin. h. n. XXXV, 4.: „Proxime celebrata est in foro boario aede Herculis Pacuvii Poëtae pictura. Ennii sorore genitus hic fuit, clarioremque eam artem Romae fecit gloria scenae." Hieronymus quidem l. l. (numero Eusebiano MDCCCLX, Olympiadis CLVI. anno IV. vel secundum al. Mss. 156, 3.): „Pacuvius Brundusinus tragoediarum scriptor clarus habetur. Ennii poëtae ex filia nepos, vixitque Romae quoad picturam exercuit ac fabulas venditavit.

traditum; neque hoc refertur, ad quod usque vitae tempus in patria urbe vixerit, antequam Romam se conferret. Romae non tantum poësin, sed etiam picturam, eamque non sine laude, exercuit [4]). Laelio familiariter usus est [5]), neque dubito quin etiam alii viri illustres illius temporis cum eo versati sint. Itaque consuetudo virorum excellentium, quos plurimos procreaverat urbs ad orbem terrarum subigendum infante Pacuvio iamiam sese accingens, ac per ipsas calamitates novis viribus aucta, horum igitur virorum consuetudo nativam ingenii Pacuviani excelsitatem non potuit non augere. Quales inde fructus ceperit, etiamsi ne verbum quidem de gravitate, qua pollet, sententiarum, de verborum pondere, auctoritate personarum, de vi ac veritate, qua rerum altissimarum descriptione animum auditorum commovit, scriptores nobis tradi-

---

Deinde Tarentum transgressus prope nonagenarius diem obiit."

Ceterum Pacuvius non potuit Ennii nepos esse ex filia; etenim is non amplius novemdecim annis Nostrum aetate antecessit, natus Q. Valerio, C. Mamilio Coss. A. U. 515. A. Chr. 239. cf. Gell. XVII., 21.

Scaliger etiam praetermisit verba: *Ennii ex filia nepos.* Libri Parmenses mss. duo illa tantum legunt verba: *ex filia.*

4) Plin. h. n. et Hieronym. ll. ll.

5) Cic. de Amic. 7 sub persona Laelii: „hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula."

dissent, tot egregiarum fabularum reliquiae satis ostenderent.

Grandi iam aetate et morbo corporis diutino affectus Tarentum concessit [6]). De anno mortis nihil constat. Eum prope nonagenarium obisse legimus apud Hieronymum [7]).

II.

Non tantum a viris suo aevo claris, sed postero etiam tempore [8]) magni Romae habitus est Pacuvius, et in ipsa aurea, quam dicunt, Romanae poësis aetate praeter Horatium eiusque amicos, qui illis prioris aevi ingeniis magnum apud populum amorem invidebant, nemo fuisse videtur, quin gloriam qua dignus erat ei concesserit. Illi enim ipsi nihil aliud opprobrio ei facere potuerunt, quam quod omnibus illius aevi poëtis vitio datur, quod limam non satis adhibuerint; vim tragicam iis qui tragoediam excoluerunt non magis abiudicare potuere

---

6) Gell. XIII, 2.

7) Hieron. l. l. Unde apparet eum A. U. 620. adhuc vixisse. Vide infra ad Duloresten.

8) Heinsius ad Vellei. Paterc. I, 17. tom. II. p. 649. ed. Ruhnken. patere dicit ex Suetonio, Accii et Pacuvii dramata Neronianis quoque temporibus non sine multo applausu in scenis exhibita fuisse. At in Suetonio semel tantum reperitur nomen Pacuvii, in vita Caesaris cap. 84, ubi laudatum legimus illum ex Armorum iudicio versum, de quo

quam comicis comicam [9]). Ita Persius verrucosam appellat Pacuvii Antiopam [10]), quam

---

postea sermo erit; Accii nomen ne semel quidem. Fefellisse memoriam credimus virum doctissimum, illius in vita Neronis cap. 11. loci recordantem, ubi Suetonius *inductam esse et Afranii togatam* narrat, *quae Incendium inscribitur*. Infestior illis tragicis est Martialis ad Chrestillum XI, 91. ubi iocose scribit amico:

„*Attonitusque legis terrai frugiferai,*
Accius et quicquid Pacuviusque vomunt."

9) Horat. ep. II, 1, 166. Ibid. vs. 57. sqq. 170. sq. Idem in ep. ad Pisones 289. Neque in hoc uno opprobrio, quod litura, quam elegantiam dicimus, caruerint antiqui, de Pacuvio consensisse Romanos, videmus e Vellei. Pat. II, 9, quem audi: „Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii atque Accii, usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecta, magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum Ennii (hoc nomen, quod excidisse videtur, ab Heinsio restitutum probat Ruhnken. l. l.), adeo quidem, ut in illis limae, in hoc pene plus videatur fuisse sanguinis." Ad haec cf. Cic. Or. 11, cuius verba ad totam hac de re litem diiudicandam optima sunt haec: „In omni re difficillimum est, formam (quae χαρακτὴρ Graece dicitur) exponere optimi: quod aliud aliis videtur optimum. Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum: *Pacuvio*, inquit alius; *omnes apud hunc ornati elaboratique sunt versus*: multa apud alterum negligentius. Fac alium Accio. Varia enim sunt iudicia, ut in Graecis, nec facilis explicatio, quae forma maxime excellat."

10) Pers. Sat. I, 77. — Inter vituperatores Pacuvii fuit etiam Lucilius, quod monet Gellius XVII, 21, ac videmus in ipsis eius Sat. XXIX, 63. ed. Dousae p. 81, ubi leguntur verba: „Utrum tristis contorto aliquo ex Pacuviano exordio." Hoc versu infra iterum utemur.

Cicero [11]) non parvi pendit. Cicero quoque, licet multis in locis laudibus efferat Pacuvium, male eum locutum esse dicit [12]). Haec tamen reprehensio nihil aliud respicit, quam in singulis verbis negligentiam. Quare etiam Asinius Pollio, magni ille animi vir in tempore Romanae civitatis iam depravatissimo, summusque in omni re antiquae simplicitatis atque gravitatis sectator [13]), non solum tragoediis, sed etiam orationibus suis Accium atque Pacuvium exprimere non haesitavit [14]). Eoque minus premendae sunt parvae quaedam maculae in illis; nam nihil naturae est convenientius, quam ut ea aetate, qua lingua primum excolitur, nondum politus ab omni parte stet sermo. Neque hoc alienum est ab ubertate, quam propriam ei tribuit Varro [15]).

---

11) Fin. I, 2.

12) Brut. 74.

13) De eo Quintilian. X, 1, 113: „Asinius Pollio a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit saeculo prior."

14) Quintilian. X, 1, 8. dicit, ab Asinio proximisque libenter Pacuvii ceterorumque eiusdem aevi poëtarum inseri versus, summa non eruditionis modo gratia, sed etiam venustatis. Cf. Dialog. de Oratoribus cap. 21, ubi M. Aper non leni vituperatione hanc ob imitationem Asinium carpit. Ita Auct. ad Herenn. IV, 4 rationem potius imitantium quam eius, quem imitari dicuntur, reprehendere voluisse videtur.

15) Apud Gellium VII, 14.

Quodsi, M. Apri oratoris iudicium [16]) sequentes, *veterno inquinatum* eum dicere vellemus, non minus iniuria hoc faceremus, ac si nostrae patriae antiquiores poëtas vituperare vellemus ob rudem elocutionem; nam ita locuti sunt homines illis temporibus; vel si Britanni Chaucero suo vel Spensero soloecum obsoletumque sermonem vitio verterent. Quare Quintiliani iudicium [17]) de illius aevi poëtis maxime est laudandum, qui, „Ceterum," inquit, „nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse."

Non raro apud antiquos *docti* cognomine praeditus est Pacuvius [18]) cum ob magnam, ut videtur, mythologiae cognitionem, quae Propertio etiam hoc cognomen dedit, tum propter animum philosophiae addictum, quae tum Romae florere coepit. Nam philosophiam illorum poëtarum aetate Romam immigrasse constat, etsi fallitur Gellius [19]),

---

16) In Dialogo de Oratoribus cap. 20.

17) Institutt. X, 1, 97.

18) Horat. ep. II, 1, 55:

„*Ambigitur quoties, uter utro sit prior, aufert*
Pacuvius docti famam senis, Accius alti."

cf. Quintilian. l. l.: „Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt."

19) Gell. XVII, 21. extr.: „Iisdemque temporibus Diogenes Stoicus et Carneades Academicus et Critolaus Pe-

qui Pacuvii florem post legationem Diogenis, Carneadis, et Critolai ponit, quo anno Noster sexaginta quinque annos natus erat.

---

ripateticus ab Atheniensibus ad Senatum Populi Romani, negotii publici gratia legati sunt. Neque magno intervallo postea Q. Ennius, et iuxta Caecilius, et Terentius, ac subinde et Pacuvius, et Pacuvio iam sene Accius, clariorque tunc in poëmatibus eorum obtrectandis Lucilius fuit." Legatio obtigit P. Scipione II. M. Marcello II. Coss. A. U. 599. A. Chr. 155, ut docet Cic. Acad. II, 45. Errores Gellii notarunt Intpp.

Neque vero offendamus apud Gellium in Pacuvio post Terentium commemorato, qua in re illum etiam A. G. Schlegel secutus est, sententia in praelectionibus de arte dramatica tom. II. p. 16. prolata, ubi Pacuvium et Accium post Plautum et Terentium floruisse narrat. Nam etsi Pacuvii natales Terentium fere 26 annis antecedunt, cum Terentius obierit Cn. Dolabella, M. Fulvio coss. A. U. 595, postquam nondum quintum atque trigesimum egressus annum in Graeciam profectus est (Sueton. vit. Ter.), unde efficitur natum eum esse circa A. U. 560; et idem Andriam primam fabulam docuit M. Marcello, Cn. Sulpicio coss. A. U. 588 (didascal. Andr.), Pacuvio annos nato 54: tamen quodammodo etiam recentior est Noster, propter magnam, quam attigit, aetatem, cum nunquam desierit fabulas agere. Cf. verba Ciceronis not. 2. apposita, ita pergentis: „Sic Hortensius non cum suis aequalibus solum, sed et mea cum aetate, et cum tua, Brute, et cum aliquanto superiore coniungitur." Adde quae M. Aper profert in Dialogo de Oratoribus cap. 17. — Simili modo accidit in Isocrate, ut inter antiquiores et seriores Graecorum oratores temporibus diversissimis nobis occurrat. Ita fortasse posterorum aliquis non minus miraretur, qui legeret Goethium post Schillerum floruisse, cum hic decem annos minor natu sit illo.

In ipsis quoque fragmentis Pacuvium, quamquam in versu a Gellio [20]) servato:

„'*Odi ego homines ignava opera et philosopha senténtia*"

dicit, si respicimus eius versus ab auctore ad Herennium [21]) laudatos, non omnino liberum a philosophando invenimus.

III.

In *tragoedia* Pacuvium maximas meruisse laudes et plurimum viguisse, testantur et veterum de eo dicta [22]), et ipsius re-

---

20) Noctt. Att. XIII, 8. Hunc versum Zetho attribuendum esse in Antiopa ostendit Cic. de Orat. II, 37: „Miror, cur philosophiae, sicut Zethus ille Pacuvianus, prope bellum indixeris" cet. cf. Cic. rep. I, 18: „Atque idem (Aelius Sextus), multum enim illum audiebam et libenter, Zethum illum Pacuvii nimis inimicum doctrinae esse dicebat: magis eum delectabat Neoptolemus Ennii, qui se ait philosophari velle, sed paucis, nam omnino haud placere." Apud Horat. ep. I, 18, 42. Zethus dicitur severus.

21) Auct. ad Herenn. II, 23. De quibus versibus vide quae diximus ad fragm. XX.

22) Uti Caecilium comoediae, ita cum Accio Pacuvium tragoediae principes habuerunt Romani. Cic. opt. gen. oratt. cap. 1: „Itaque licet dicere et Ennium summum epicum poëtam, si cui ita videtur, et Pacuvium tragicum et Caecilium fortasse comicum." De Caecilio cf. Volcat. Sedigit. apud Gell. XV, 24. et Varronem Parmenone apud Non. s. v. poscere, quorum ille: „Caecilio palmam Statio do comicam," hic: „In argumentis Caecilius poscit palmam." De Pacuvio et Accio cf. loca supra laudata, praecipue Horat. ep. II, 1, 55. (ibid. v. 59: Caecilium gravi-

liquiae. Fabulae eius, e quibus fragmenta ad nos pervenerunt, praeter *Duloresten*, memorantur hae: *Anchises*, *Antiopa* [23]), *Armorum iudicium*, *Atalanta* [24]), *Chryses*, *Hermiona*, *Iliona*, *Medea* [25]), *Niptra* [26]), *Paulus*, *Periboea*, *Teucer*. Caetera, quae non adscripto fabulae nomine exstant fragmenta, non omnia ad illas referri possunt, sed ea partim ad alias eiusdem fabulas, quarum nomina perierunt, pertinuisse necessarium est.

---

tate, Terentium arte vincere dicit). Vellei. Paterc. II, 9. Cui adde I, 17: „— in Accio circaque eum Romana tragoedia est."

23) *Antiopam* ad eas pertinere fabulas, quas de Graecis expressit, testis est Cic. Fin. I, 2.

24) Hanc fabulam Nonius v. *praegreditur* sub nomine Tantali laudat, unde recentiores peculiarem fabulam *Tantalum* in catalogum receperunt. Ceterum apud Nonium corrigendum videtur *Atalanta*, *quod*, ut bene animadvertitur in Elencho Nonii Merceriani p. 578, *evincent vel ipsa verba ibi loci citata*, *quae aptissime congruunt Atalantae*. De *Chryse* infra diximus.

25) Pro *Medea* alii *Medum* nominant, ita ut adhuc dubium sit, num utramque an alterutram tractaverit fabulam Pacuvius. Mihi videntur ad Medeam pertinere, quae sub duplici hoc nomine laudantur fragmenta; neque enim video, cur potius ad soccum cum Delrio, quam, ut ex ipsis patet, ad cothurnum ea referam.

26) Haec nonnumquam nomine *Niptris* laudatur, qui error ortus esse videtur ex ablativo nominis variis locis laudato sine alio additamento. Haec fabula Odysseae diem ultimum tractavit. Qua de re, ut de singulis praecedentibus fabulis, plura dicentur suo loco.

In tragoediis Pacuvium non solum palliatam, sed etiam togatam praetextatamque tractavisse ipsum nomen *Pauli*, e quo servata habemus fragmenta [27]), nobis persuadet.

Comoedias quoque Nostri appellant scriptores, pauca afferentes fragmenta, e *Mercatore, Pseudone, Tarentilla, Tuniculariis*, quae, ut ipsa nomina docent, comoediae potius quam tragoediae sunt. Quare nolim cum Bothio [28]) Merceri sententiae de Nostro [29]) adstipulari, Pacuvium comoedias non magis scripsisse quam tragoedias Terentium. Ut enim per se non absonum est magnum poëtam tragoediae aeque ac comoediae parem esse [30]), quamquam exempla huiusmodi apud Graecos habemus pauca, inter Romanos

---

27) Fragmenta Pauli reperiuntur apud Non. vv. progenii. nivit. Gell. Noctt. Att. IX, 14. Priscian. l. VI. init. Macrob. Sat. 6, 5. De tragoedia praetextata cf. Diomed. p. 487 Putsch.

28) p. 142. fragmm. tragg. ad Pseudonem.

29) Mercer. p. 211. in notis ad Nonium.

30) Quid, quod Plato etiam contendit ita necesse esse! In cuius Symposio extr. dicit Socrates: Τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς εἶναι κωμῳδίαν καὶ τραγῳδίαν ἐπίστασθαι ποιεῖν, καὶ τὸν τέχνῃ τραγῳδοποιὸν ὄντα καὶ κωμῳδοποιὸν εἶναι. Graecos talia non tulisse ostendunt Aristophanes et Agathon obdormiscentes. Apud recentiores nihil frequentius. Ad Platonis sententiam recte intelligendam comparare licet eiusd. Legg. lib. VII. p. 816. Steph. (757. Bekker.), Ἄνευ γὰρ γελοίων τὰ σπουδαῖα καὶ πάντων τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία μαθεῖν μὲν οὐ δυνατόν. etc.

tamen praeter Pacuvium Ennius et Naevius et Accius comicis atque tragicis adnumerantur, licet nullus eorum in utroque poëseos genere parem laudem demeruisse videatur [31]). Itaque fidem non derogandam esse censeo iis, qui Pacuvium etiam comoedias scripsisse tradunt [32]). Diomedes praeterea [33]) loquitur de Pacuvii et Ennii *saturis*, quae alio loco laude non ornantur [34]). Ceterum quod Fabricius dicit [35]), Pacuvium laudari in numero epigrammatum scriptorum, referri videtur ad epitaphium, quod sibi ipse composuit.

IV.

In tractandis argumentis duplex Romanorum poëtarum ratio fuit, altera magis,

---

31) Nisi fortasse Naevius duplicem hanc sibi comparavit gloriam. Huic enim ingeniosissimo poëtae a Sedigito tertius locus inter comicos concessus est; neque, si eius tragoediarum reliquias adspicimus, post Pacuvium et Accium proximam palmam facile ei denegare poterimus.

32) Fulgentius in Non. Merc. p. 562. s. v. *Blaterare:* „Pacuvius *Pseudone comoedia* inducit Sceparnum servum ancillae dicentem: Ni ego te“ cet.

33) Diomed. p. 482. apud Putsch: — „olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat, Satura vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.“

34) Porphyrion. ad Horat. Sat. I, 10, 56: „— Item Ennium, qui quatuor libros Saturarum reliquit, ac Pacuvium huic generi versificationis non suffecisse.“

35) Fabricius bibl. lat. tom. II. p. 201.

altera minus Graecorum exemplis accommodata; etenim Cicero [36]) alterum genus narrat *ad verbum Graecos expressisse,* alteri adnumerat eas fabulas, in quibus non verba, sed vim Graecorum expresserint Romani [37]); postremo a Graecis Horatio teste prorsus recesserunt scriptores praetextatarum et togatarum [38]). Pacuvium quoque liberiorem illam rationem et ab ipsius ingenio profectam secutum esse docet Dulorestes, in quo quamvis eandem materiem tractaverit quam Euripides in Iphigenia Taurica [39]), tamen peculiari ratione absolvit rem propositam, ut novum carmen eum composuisse nemo, qui rem perspectam habeat, negare possit. Et hoc est eiusmodi, ut aptissime hic adhiberi possint Horatii verba [40]):

„*Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis*
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet,
Tantum de medio sumptis accedit honoris.“

---

36) Fin. I, 2. ibid. cap. 3. cf. Horat. ep. II, 1, 164: „Tentavit quoque rem digne si vertere posset“ (sc. Romanus). Id. ep. ad Pisones v. 285. sqq.:

„*Nil intentatum nostri liquere poëtae;*
Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.“

37) Academ. quaest. I, 3. At Cicero de re eadem aliis locis paulo aliter sentire videtur.

38) Horat. ep. ad Pis. v. 288.

39) Vide partem secundam huius libelli.

40) Ep. ad Pis. v. 240. sqq.

Nonne idem faciens in eadem re summum artis fastigium adsecutus est Goethius noster, quem optime Naekius appellat [41]) antiquae Graecorum poëtarum stirpis seram, sed laetissimam propaginem? Non est, quod nomen tragoediae quam respicio adponam, in qua Graeca ars cum omnibus coniuncta est virtutibus, quas recentior poësis tot saeculorum decursu consecuta est.

Ita etiam Pacuvius non servili modo Graecos imitatus est, sed excultus Graecorum exemplis libere ingenio suo indulsit. Et hac sola ratione contingere ei potuit, quod narrat Suetonius, ut in ludis funebribus in Caesaris honorem celebratis cantarentur versus ex illius quadam fabula [42]). Quem populi favorem ut nancisceretur, eius rei haud exigua profecto causa fuit vis atque gravitas, qua Romanorum moribus maxime congruente illum excelluisse et fragmenta osten-

---

41) In indice lectt. Bonnens. p. 7.

42) Sueton. in vita Caesaris cap. 84: „Inter ludos cantata sunt quaedam ad miserationem et invidiam caedis eius, accommodata ex Pacuvii Armorum iudicio:

Men' servasse, ut essent qui me perderent."

Men' habent codd. optimi. Alii *me*. Editores plerique *Men' me*, ad Senarium explendum, parum apto sensu. Mihi videtur tetrametri trochaici exitus. Loquitur Aiax de Ulysse, in proelio prope naves a se servato, et de Atridis. De reliquis, quae ad hunc versum pertinent, vide ad Armorum iudicium, quod postea proponemus, fragm. 11.

dunt, et Ciceronis de nonnullis testimonia confirmant [43]).

Quae de poëtae nostri ingenio atque indole hucusque protuli, e iudiciis auctorum veterum, quibus ipsius fragmenta comparavi, collecta sunt; quae quo diutius inspexi, eo certius mihi visus sum intelligere, Pacuvium, etsi summis illis Graecae tragoediae auctoribus non parem, Sophocli omnibus numeris absoluto, Aeschylo poëtarum qui unquam exstitere altissimo, Euripideo tamen ingenio non cedere, immo propius accessisse ad illorum ingeniorum praestantiam. Quod quam sit verum, cum in ceterarum fabularum fragmentis, tum in Duloreste, quo eodem argumento Euripides usus est, ostendam.

V.

Reliquum est, ut *de Pacuvii animi indole* verbum addam, quem candidissimum fuisse atque

---

43) Tusc. II, 21, ubi de Niptris agitur; et merentur hercle fragmenta hoc nomine insignita laudes, etsi Ciceronianas paulo fervidiores forsitan dixeris: „Pacuvius haec melius quam Sophocles. Apud illum enim perquam flebiliter Ulysses lamentatur in vulnere: — — — — — — —. Intelligit poëta prudens (Pacuvius) ferendi doloris consuetudinem esse non contemnendam magistram.“ Ita etiam e Teucri fragmentis magna vis elucet; de quo Cic. de Orat. I, 58: „Nec quisquam est eorum, qui, si iam sit ediscendum sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit quam Manilianas venalium vendendorum leges ediscere.“ Cf. Fin. b. et m. V, 22. et Lael. 7, ubi de egregia scena in Duloreste sermo est, quae nobis est fragm. XXX.

atque modestissimum patet ex epitaphio, quod ipsum sibi fecisse narrat Gellius [44]. Hi versus, collati cum autepitaphiis aliquot poëtarum aequalium, Ennii, Naevii, Plauti, optimam illorum poëtarum praebent imaginem, et imprimis Pacuvii simplicitatem et modestiam exprimunt; quare haec in fine vitae Pacuvii comparare a re mea non alienum censeo.

Videamus primum *Ennium*, qui magna spe immortalitatis, quam operibus suis sibi conciliasset, uti Cicero nobis tradit [45], sic voluit in sepulchro suo legi:

Adspicite, o cives, senis Enni imagini' formam.
Hic vostrum panxit [46] *maxima facta patrûm.*
Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? Volito vivu' per ora virûm.

Ceterorum epitaphia nobis servavit Gellius, qui l. l. his verbis praemissis ea affert: „Trium poëtarum illustrium epigrammata, Cn. Naevii, M. Plauti, M. Pacuvii, quae ipsi fecerunt et incidenda suo sepulchro relique-

44) Noctt. Att. I, 24.

45) Tusc. Qu. I, 15. Posterioris distichi verba a *Nemo* usque ad *Faxit* bis apud eundem repetita invenimus, Tusc. Qu. I, 49. et de Senectute cap. 20.

46) Vulgo legitur *pinxit*.

runt, nobilitatis eorum gratia et venustatis scribenda in commentariis esse duxi. *Epigramma Naevii* plenum superbiae Campanae; quod testimonium esse iustum potuisset, nisi ab ipso dictum esset:

Mortáles Immortáles sí foret fas flere,
Flerént divae Caménae Naévium poëtam;
Itáque postquam est orcíno tráditus thesauro,
Oblíti sunt Romaé linguá latina loquier." [47])

Quos versus procul dubio Naevii ipsius esse existimo, uti ceterorum quoque poëtarum allata epitaphia ab ipsis scripta videntur [48]). Neque enim a consuetudine antiquitatis, neque a moribus ipsius poëtae abhorret.

Gellius pergit: „*Epigramma Plauti,* quod dubitassemus an Plauti foret, nisi a M. Varrone positum fuisset in libro de poëtis primo:

---

47) In his versibus dedimus plerumque lectionem edd. vett. Aliter quaedam constituerunt Hermannus Elementt. doctr. metr. p. 638, ubi de numero Saturnio agitur, et Bothius Fragmm. poëtt. Latt. tragg. p. 82. Mihi numeri non ita perversi videntur. Quod in voce *Itaque* offendit Bothius, cum requiratur *ita* causale, annotamus causam, quae desideratur, ita fere esse supplendam: Camenae flerent, si fas foret; mortuus est enim Naevius; itaque postquam cet. Et sic omnia bene quadrant.

48) Quamquam J. G. Vossius in Castt. et Nott. p. 121. de omnibus dubitat.

Postquam ést morti captús Plautús, comoedia luget;
Scena ést deserta. Deín Risús, Ludus, Iocusque,
Et Númeri innumeri símul omnés collacrumarunt." 49)

De Pacuvio Gellius haec: „Epigramma verecundissimum et purissimum, dignumque eius elegantissima gravitate:

Adoléscens, tametsi próperas, te hoc saxúm rogat,
Ut sése adspicias, deínde quod scriptúm est legas:
Hic súnt poëtae Pácuvi Marcí sita
Ossa. Hóc volebam néscius ne essés. Vale." 50)

Ne vero *Accius* desit in summorum illius aetatis ingeniorum commemoratione, narrationem, qua ipsum de se iudicantem introducit Gellius 51), addendam eo magis duxi,

---

49) Pro *morti* alii *morte* legunt; pro *captus* alii *datus*. Numeri Saturnii sunt; ne quis postremo versu inductus heroicos putet.

50) Antiquam dedi lectionem, transposito tantum *hoc te* in primo versu et duplicato *se* in secundo. Bothii correctio: „Uti ad se adsp." durior est quam quod nos fecimus. — *Tametsi* tribrachys est. Cf. Terent. Eun. II, 1, 10: Mémini, tametsi núllus moneas cet. Phorm. II, 3, 81: „— metuit híc nos, tametsi sédulo cet. Andr. II, 2, 11: „— — optúndis, tametsi intélligo.

51) Gell. Noctt. Att. XIII, 2.

quia ad Pacuvii etiam mores et ingenium cognoscendum quodammodo facit:

„Cum Pacuvius, — grandi iam aetate et morbo corporis diutino affectus, Tarentum ex urbe Roma concessisset, Accius, tum haud parvo iunior, proficiscens in Asiam, cum in oppidum venisset, devertit ad Pacuvium; comiterque invitatus, plusculisque ab eo diebus retentus, tragoediam suam, cui Atreus nomen est, desideranti legit. Tum Pacuvium dixisse aiunt, sonora quidem esse quae scripsisset et grandia; sed videri ea tamen sibi duriora paulum et acerbiora. Ita est, inquit Accius, uti dicis; neque id sane me poenitet: meliora enim fore spero, quae deinceps scribam. Nam quod in pomis est, itidem, inquit, esse aiunt in ingeniis, quae dura et acerba nascuntur, post fiunt mitia et iucunda. Sed quae gignuntur statim vieta et mollia, atque in principio sunt uvida; non matura mox fiunt, sed putria. Relinquendum igitur visum est in ingenio quod dies atque aetas mitificet."

His de Pacuvii vita et ingenio praemissis, statim me ad eius Duloresten convertam, ita quidem, ut prima scriptionis parte quomodo poëta in animo quasi construxerit fabulam, fragmentis ordine dispositis ostendam; altera de singulorum fragmentorum lectione, quam recepi, rationem reddam.

DE M. PACUVII DULORESTE.

I.

Nulla fere a parte M. Pacuvii fabula Dulorestes dubitationibus libera est. Neque enim de nomine, quomodo sit scribendum vel explicandum, neque de auctore, utrum solus Pacuvius Dulorestem scripserit, an alii quoque poëtae, neque de loco et personis fabulae, neque de eius constructione, quam oeconomiam dicimus, eadem omnibus est sententia. Manifestum vero est, priusquam his de rebus certum conformaverimus iudicium, fragmenta ex Duloreste relicta in ordinem iustum et progressui argumenti consentaneum redigi non posse.

Primum *de nomine* dispiciamus. Atque eam quidem dubitationem, quam Henricus Stephanus movit, dicens [52]), fortasse scribendum esse *Duloraestes*, adductus, ut videtur, ad hanc sententiam Scholiastae Euripidei loco [53]), ubi Strattidis Comici Ἀνθρωποῤῥαί-

52) Fragm. poëtt. Latt. p. 204.

53) Schol. ad Eur. Orest. v. 269. ΓΑΛΗΝ' ΟΡΩ. κεκωμῴδηται ὁ στίχος διὰ Ἡγέλοχον τὸν ὑποκριτήν. οὐ γὰρ φθάσαντα διελεῖν τὴν συναλοιφὴν, ἐπιλείψαντος τοῦ πνεύματος

στης commemoratur, verbo attigisse sufficit, a Naekio satis refutatam. Maior difficultas est in prima nominis syllaba. Nam libri mss. partim *Dulorestes,* partim *Dolorestes* exhibent, interdum abrupte *Dulo* vel *Dolo* praebent[54]). Itaque alteram scripturam, in qua libri vetusti fere consentiunt, Naekius[55]) ex eo more ortam esse censet, quo litteram *o* scripserint quidam pro *u* vel graeca *ου;* hoc deinde librarios cupide arripuisse ac tenuisse, ut quibus Latinum nomen *dolus* obversatum sit.

τοῖς ἀκροωμένοις τὴν γαλῆν δόξαι λέγειν τὸ ζῶον, ἀλλ᾽ οὐχὶ τὰ γαληνά. πολλοὶ μὲν οὖν αὐτὸ διέπαιξαν τῶν κωμικῶν, Ἀριστοφάνης (Ran. 305. sq.) καὶ Στράττις ἐν Ἀνθρωποῤῥαίστῃ cet. Ex hoc fabulae titulo quomodo Henr. Steph. collegerit illud de Pacuviano Duloreste, hariolari nihil attinet; Naekius (l. l. p. II.) hoc recte, nihil cum Euripidis Oreste commune fuisse Strattidis Ἀνθρωποῤῥαίστῃ praeter hoc unum, quod Strattis obiter perstrinxerit illud: γαλῆν ὁρῶ.

54) Scal. in Varronem tom. II. p. 347. inf. ed. Bipont: *In Duloreste*] „Vulgo *In Dolo.* Forsan erat scriptum *in Obolo.* Nam ita citatur Caecilius compendiose pro Obolostate: quam etiam comoediam Latine vocant Foeneratorem. Eodem modo in Nonii libris calamo exaratis citatur Pacuvius in Dolo, pro Duloreste.“ Haec (ut videtur) verba Naekius p. II. inf. ita intellexit, quasi Scaliger compendium loquendi esse dixerit illud *Dolo*, cum scripturae tantum compendium sit, eoque nomine illum reprehendit iniuria. Ceterum *Dulorestes* est in edd. omnibus fere scriptum; *Dolorestes* in mss. Prisciani ap. Krehl. p. 208, in Varronis de l. l. codd. recentioribus (nam in vetustissimis est in *Dolo*, ut Nonii codd. habent Scaligero teste.) Cf. quae dicentur ad fr. I.

55) Dissertat. p. IV. inf.

Equidem fateor, in priori parte huius opinionis non satis mihi cum viro egregio convenire. Nam etsi apud Graecos fere usque ad centesimam olympiadem et paulo post ille usus obtinuit, ut *o* pro *ου* scriberetur, cuius vestigia nonnulla supersunt apud ipsos illius aetatis scriptores, quorum libris aevum pepercit [56]), apud Latinos tamen non facile reperias, qui *o* pro *u* longa scripserit, cum in brevi syllaba satis frequens ille usus fuerit [57]); antiquum autem illum loquendi scribendique morem, quo e. g. ad*u*lescens pro ad*o*lescens dicebatur, non vereor ne quis huc allaturus sit; nempe omnino ille contrarius foret, cum antiquius ferme sit ad*u*lescens, recentior scriptura per *o* litteram. Itaque missum faciamus illam litterarum *o* et *u* permutationem.

In altero, quod Naekius proponit, librariis obversatum esse *dolum,* facile illi assentimus, praecipue si de ipsa abrupta scriptura *dulo.* cogitavit; quamquam non minus facilis a *dulore.* ad *dolorem* aberratio fuerit. Potuit sic oriri lectio *Dolorestes;* at si genuina

---

56) Ex. Gr. ap. Pindarum. Vide Boeckhii nott. critt. p. 348.

57) Vide exempla apud Grut. Inscr. DCCCLX. 5. (*edocatus*). CCIV. (*flovium*, etsi hoc aliam etiam excusationem admittit; ibid. *confluont.*) Quod fere solum possit simile videri, *futoro* (CCCXI, 2), aetatis est recentioris. Sed cf. quae diximus ad fr. VI.

fuit, nullam plane causam reperio, unde *Dulorestem* librarii commenti sint. Neque sensum commodum praebet *Dolorestes*; nisi quis forte fraudulentum Orestem agnoscat, quippe qui Deae simulacrum cum Pylade furtim abstulerit.

Nihil igitur restat, nisi ut *Dulorestem* verum fabulae nomen fuisse concedamus, recte illud formatum ad analogiam linguae Graecae, veramque esse explicationem de Oreste servo, sive Oreste servili conditione, probat argumentum fabulae, quatenus e fragmentis intelligitur. At hoc infra videbimus.

Nunc verbum tantum de Bothiana [58]) nominis explicatione, mira satis, addere liceat. Hic enim vir doctus, cum fabula Orestis res gestas in terra peregrina extorris exhibuisse videatur, Euripides vero exsulis conditionem cum statu servili compararit, exsulem Orestem servilem Orestem appellatum esse coniecit. Cum vero servus et exsul toto fere coelo distent, vix dubitari licet, quin ioco tantum, ut aliquid certe protulisse vi-

---

58) Bothius hac de re loquitur in fragmm. tragg. Latt. p. 40. inf. additis ex Eurip. Phoen. vss. 404. sqq.

— — — — Ἰοκ. τί φυγάσιν τὸ δυσχερές;
Πολ. ἓν μὲν μέγιστον, οὐκ ἔχειν παῤῥησίαν.
Ἰοκ. δούλου τόδ᾽ εἶπας, μὴ λέγειν, ἅ τις φρονεῖ.
Πολ. τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών.
Ἰοκ. καὶ τοῦτο λυπρόν, συνασοφεῖν τοῖς μὴ σοφοῖς.
Πολ. ἀλλ᾽ εἰς τὸ κέρδος παρὰ φύσιν δουλευτέον.

deatur, hanc adposuerit coniecturam; neque nos diutius illa morabitur.

II.

Jam ad alteram, quam supra indicavimus, nos convertamus quaestionem, *utrum solius Pacuvii extiterit Dulorestes, an alii quoque poëtae fabulas composuerint ita inscriptas.*

Omnes, qui fragmenta tragicorum Latinorum collegerunt, a Stephano inde usque ad Bothium in Ennii fabularum serie afferunt versum servatum a Nonio [59]) his signatum verbis: „*Ennius Duloreste.*" At iam Scaliger [60]) hunc versum Pacuvio vindicavit; cuius sententiae, licet ob eam a Columna [61]) et a Bothio [62]) notetur, omnino adstipulandum censeo. Primum enim aliis locis Ennii tragoedia Dulorestes non com-

---

59) Non. p. 90. ed. Merc. s. v. „*Conciere*, cum perturbatione commovere. Accius Medea: Nisi quas terrestris pontus strages conciet. Afranius Deposito: — Dii sunt irati tibi, Qui conciere cogites tantum mali. Ennius Duloreste: Extemplo Aegisthi fidem nuncupantes conciebant populum."

60) In Varr. de L. L. V. p. 96. ed. Durdr. 1619.

61) In ed. Ennii p. 390 et 91 his verbis: „Miror Scaligerum hunc versum afferre e Pacuvii Duloreste: qui tametsi huius nominis fabulam scripserit, clare tamen ex Nonio liquet, hunc versum Ennii esse."

62) In ed. fragmm. tragg. Latt. p. 40. inf. „Sine causa idonea haec ad Pacuvii Duloresten refert Scal." cet.

memoratur; deinde a Pacuvii fabula non aliena sunt illa verba a Nonio laudata; qua de re infra disseremus. Itaque verisimillimum est, librariorum aliquem vel Ennii nomen pro Pacuvii nomine adscripsisse, vel, quod non raro in Nonio factum est, omissis quae ad Ennium pertinebant verbis Pacuviique nomine, quae ex huius Duloreste allata sunt, statim post Ennii nomen posuisse [63].

Eodem fere modo *Varronis Dulorestes* nominatur apud Nonium (v. meret) loco aperte corrupto, ut optime ostendit Naekius [64], et in quo Pacuvii fragmentum latere idem acute suspicatur. De hoc versu postea loquemur [65].

Quod ex uno Varronis loco [66]) colligendum putarunt olim viri docti, *Naevii* extitisse *Dulorestem*, id iusta loci interpretatio excludit. Varronis verba haec sunt: „— — apud Naevium in Esiona. Enimvero gladii

63) Quid, quod etiam viris doctis haud raro accidit, ut auctorum nomina permutarent; nam in ipso Duloreste Valesius (nott. ad Maussaci notas in Harpocrationem, p. 317. ed. Gronov.) fallitur, ubi ait: „*Caecilius in Duloreste* laudatur a Nonio et aliis.“

64) Dissertat. p. VIII.

65) Fragmm. Append. I.

66) De L. L. p. 101. ed. Bip. Hoc tamen loco Columnam, qui (ed. Ennii p. 391) e Varrone colligit Naevium scripsisse Dulorestem, Bothius non sequitur, sed versum recte Pacuvio tribuit.

lingula a lingua. In Clastidio, Vitulantes, a vitula. In Duloreste, Caperata fronte, a caprae fronte" cet. Recte enim iam Vossius [67]): „Non est Naevii," inquit, „sed Pacuvii, cuius est iste versus in Duloreste: Voce suppressa, caperata fronte, voltu turbido. Qui Naevii esse putarunt, eo decepti sunt, quod Varro, cum Naevium antea laudasset, haec postea ex Duloreste adducat. Inde enim hanc etiam Naevii esse crediderunt. *Atqui*

---

67) Castigatt. in fragm. Trag. p. 64. Cf. p. 118, ubi idem ad alium Varronis locum (p. 86) ita scribit: „In illustri hoc Varronis loco duodecim poëmata commemorantur, sed duobus duntaxat auctoris nomen adscribitur: primo, quod est e Naevii Hesiona, et decimo, quod est Pacuvii Tarentilla: unde aliquis existimare possit, in iis, ubi poëtae nomen reticetur, illud, quod antecessit, ἀπὸ κοινοῦ repeti debere. Persuasum id fuit viris aliquot doctis, qui iccirco a Naevio Dulorestem scriptam putarunt, cuius tertio hic loco meminit Varro. Atqui recte si colligunt, etiam Carmen de bello Punico fecerit Pacuvius, quia post nominatam eius Tarentillam locus adducitur e bello Punico, poëtae nomine non expresso. At hoc nemo sanus dixerit. Quare putamus, quando de poëmatis scriptore constaret, nomen eius a Varrone esse omissum: soli vero Hesionae et Tarentillae adiectum esse διακριτικῶς, quia alius etiam eius nominis fabulam dedisset. Nam, praeter Pacuvii Tarentillam, fuisse alteram Naevii, plurima ostendunt fragmenta, quae inde Charisius adduxit. Quare ita statuimus, quae ex Duloreste hic citat Varro, ea esse ex Pacuvii Duloreste. Nam Naevianam nemo veterum laudat: et ex Pacuviana esse, illud praeterea confirmat, quod versus iste, quem ex Pacuvii Duloreste adfert Nonius, sanus atque integer fuerit, si hoc pacto legas: Voce — torpido. Ubi" cet.

fabulam nominare Varro contentus fuit: quia, praeter Pacuvium, Duloresten nemo scripsisset. Sane quanto hoc verisimilius, quam, Varronem memoriae errore pro Pacuvio Naevium dixisse; aut ab utroque scriptam Dulorestem, ab utroque item haec verba ibi dicta esse."

Postremo Nonius [68]) *Accium* quoque Dulorestis auctorem nominat. Hoc tamen vitium esse librorum vel inde patet, quod eadem verba, quae hic Accio tribuuntur, alibi apud eundem [69]) cum aliis coniuncta Pacuvio assignantur. Quare etiamsi a doctissimis viris [70]), praeter Pacuvium, Ennius, Naevius, Accius, immo ipse Varro Dulorestis auctores nominantur: persuasum nobis habere poterimus, nullam aliam apud antiquos extitisse huius nominis fabulam praeter Pacuvianam.

III.

De Dulorestis fabulae *argumento* plures virorum doctorum sunt coniecturae. Ac

---

68) v. fatiscuntur. p. 474. vide not. ad fragm. XL.

69) v. fatiscere p. 307. vide not. ad fragm. XL.

70) Ita Casaubonus ad Athenaeum lib. VII. p. 327, ubi sermo est de Strattidis Ἀνθρωπορέστῃ: „Similis," inquit, „compositio nominis, Δουλορέστης, quo titulo fabulas ediderunt Latini poëtae, Ennius, Pacuvius, Naevius." Et similia apud alios centies, qui tales viros secuti sunt.

primum quidem *Iosephus Scaliger* [71]) dixit, Pacuvium nonnulla ex Oreste Euripidis in suam Dulorestem transtulisse videri; etsi versus ille, quem comparat (Orest. 1326):

τίς; οὐ γὰρ οἶδα μᾶλλον, ἤν σὺ μὴ λέγῃς

ab Hermiona pronunciatus, nihil commune habet cum Pacuviano:

— *Séd me incertat díctio, quare éxpedi;*

quem Orestis esse ad Apollinem infra patebit. Sed alia sunt, quae colorem ex Oreste Euripideo videantur duxisse. Praeterea Scaliger eiusdem versus ex Iphigenia Taurica (v. 355) a Pacuvio expressos animadvertit hos:

— — *Hymenaeúm fremunt*
Aequáles; aula résonit crepitu músico.

— — Ἀργεῖαί τε νῦν
ὑμνοῦσιν ὑμεναίοισιν· αὐλεῖται δὲ πᾶν
μέλαθρον.

Neque tamen hoc dixisse Scaligerum, integram fabulam Dulorestem ex Euripide expressam fuisse, ut illa Scaligeri verba acceperunt plurimi, Naekius [72]) recte monuit.

---

71) Coniectan. in Varron. L. L. VI. p. 181. Bipont.

72) Dissertat. p. IV, V.

De universo fabulae argumento prima sententia est *Delrii,* qui [73]) Dulorestem ex Euripidis Oreste, Aeschyli Agamemnone et Choëphoris concinnatam esse opinatur. Ea tamen non alia ex causa orta est, quam quod fragmenta, quae ad narrationem de morte Agamemnonis, Clytaemnestrae, et de expiatione Orestis pertinent, pro summa actionis habebat Delrius, de reliquis, quae nullo modo in argumenta trium illarum fabularum quadrant, securus. Nam qui Delrii sententiam amplectatur, quid faciet, ut alia taceam, nobilissimo illo loco de amicorum certamine [74]):

'Ego sum Orestes. 'Immo enimvero ego sum,
inquam Orestes.

Aeque futilis est *Th. Stanleii* opinio, qui [75]), apud Latinos poëtas *Dulorestem* eiusdem argumenti esse censet cuius apud Graecos Choephoros, et eo nomine tragoedias Naevium, Ennium et Pacuvium scripsisse fert.

Tertia est coniectura, quam, Servium secutus, profert *Heynius* [76]). Servius enim dicit:

---

73) In Opinationibus ad vett. tragg. fragm. p. 170.

74) Cic. Fin. b. et m. V, 22.

75) Commentar. ad Catalogum tragg. Aeschyli, in edit. Butleri vol. VIII, p. 83. s. v. Χοηφόροι.

76) Ad Virgil. Aen. IV. 471—73.

dicit: „A Pacuvio Orestes inducitur Pyladis monitu, propter vitandas Furias, ingressus Apollinis templum: unde cum vellet exire, invadebatur a Furiis." Quibus nitens *Heynius* ait: „Pacuvius igitur Aeschyli Eumenides, quodammodo saltem, expresserat." Cui fortiter contradicit Naekius [77]), qui, quum neque alius quisquam hoc de Pacuvio tradat, neque in fragmentis Dulorestis ullum sit huius argumenti vestigium, errasse Servium existimat, quippe qui eodem loco quamdam Pacuvii de Pentheo tragoediam cum Pomponio Sabino comminiscatur, qualem nullam umquam scripserit Pacuvius. At vereor ne Naekius festinantius erroris Scholiastam insimulaverit. Primum enim quod semel erravit Servius, inde non sequitur semper eum erravisse; et ea, quae tradit Scholiasta, optime ad rem quadrant. Hoc certe vocabulum *inducitur* nemo ita premat, ut inde necessario sequi opinetur, ipsam rem in scena esse repraesentatam [78]). Quidni igitur Pacuvius, quamquam in hanc rem nullum nobis servatum sit fragmentum, hunc Orestis a Furiis vexati statum apte in narratione potuit descripsisse? Idem videmus in Euripidis Iphigenia Taurica pluribus locis, immo in nonnullis ab Oreste ipso narra-

77) Dissertat. p. IV.

78) Cf., si tanti est, Cic. de Offic. III, 9: „Hinc ille Gyges *inducitur* a Platone etc.

tum [79]), qualis narratio optimam Pacuvio occasionem praebuerit magnum ostendendi ingenium. Itaque, quamquam Heynio non adstipulamur in eo, quod Pacuvium in Duloreste Aeschyli Eumenides expressisse dicit, tamen non prorsus reiicienda censemus, quae Servius de Oreste a Furiis agitato tradit.

Restat ut de novissima in nostram rem sententia loquamur, quam protulit *Bothius* [80]).

Tres sunt coniecturae, quas uno eodemque loco ponit Bothius; quarum prima ad Ennii spectat Dulorestem, e cuius uno illo fragmento:

---

79) V. 938 sqq. in Orestis narratione de sua expiatione:

„ὅσαι μὲν οὖν ἕζοντο πεισθεῖσαι δίκῃ,
ψῆφον παρ' αὐτὴν ἱερὸν ὡρίσαντ' ἔχειν.
ὅσαι δ' Ἐρινύων οὐκ ἐπείσθησαν νόμῳ,
δρόμοις ἀνιδρύτοισιν ἠλάστρουν μ' ἀεί,
ἕως ἐς ἁγνὸν ἦλθον αὖ Φοίβου πέδον,
καὶ πρόσθεν ἀδύτων ἐκταθείς, νῆστις βορᾶς,
ἐπώμοσ' αὐτοῦ βίον ἀπορρήξειν θανών,
εἰ μή με σώσει Φοῖβος, ὅς μ' ἀπώλεσεν. cet. cet.

Id. v. 79.

— — — — — διαδοχαῖς Ἐρινύων
ἠλαυνόμεσθα, φυγάδες, ἔξεδροι χθονὸς cet.

Cf. pastoris narrationem v. 270 sqq.

80) Pgn. 40. ed. fragm. trag. Latt. ad locum Dulorestis sub nomine Ennii laudatum, cujus inter fragmenta Bothius quoque illum exhibet, non probato Scaligeri (Coniectan. in Varr. l. supra l.) hac de re iudicio.

'Extemplo Aegisthi fidem
Núncupantes cónciebant pópulum —

suspicatur, eam continuisse Orestis gesta in exilio, quo punitus sit parricida; altera de Pacuvii Duloreste, quam, cum quae nunc laudata reperiamus, vix unius operis ambitu comprehendi posse videantur, totius 'Ορεστιάδος (sic) et Iphigeniae simul Tauricae argumenta attingere arbitratur. Quare praeter Dulorestem etiam Orestem et fortasse Iphigeniam Tauricam scripsisse illum putat, quarum fabularum fragmenta descriptorum negligentia sint confusa. Tertia Bothii coniectura, quam priori illi de Ennii Duloreste adiunxit, pertinet ad nomen fabulae explicandum.

Ac de prima tertiaque sententiae, quam Bothius protulit, parte non est quod iterum disputemus, cum Ennii Dulorestem nullum esse iam supra ostenderimus, et illam nominis explicationem sagaciorem esse quam veriorem facile viderimus. Sed ne illud quidem de trilogia Orestia, ad quam fragmenta sub nomine Dulorestis a variis scriptoribus servata referenda esse coniecit, ne hoc quidem, inquam, mihi probavit. Nullo enim haec opinio nititur indicio, et a viro docto sine dubio eam tantum ob causam excogitata est, quod nesciebat omnia fragmenta uni aptare argumento, cum vinculum omnia velut connectens non reperiret.

Haud paulo meliora attulit *Naekius* [81]), qui refutatis priorum opinionibus, argumentum Dulorestis hoc fuisse statuit: „Ad littora Tauricae terrae, Dianae simulacrum, iussu Apollinis, abstracturus, pervenerat cum Pylade Orestes. Sed naufragium facit, capitur, consilium, quo venerit, celat; quo melius lateat et aram evitaturus, in qua Graeci, teste Euripide, v. 39. 72. 247. 259. 338. 347. 585: immolabantur, servili conditione hominem, non Graecum origine, se esse simulat. Sic mendici victu: nam vitam concesserant: vivit inter barbaros. Mox, agnita sorore, quum de fuga et de auferendo deae signo consilia agitabant, deprehensi sunt Orestes et Pylades et ad regem adducti: qui quum alterutrum Orestem esse sciret, sed uter esset, anquireret, ut qui Orestem tantum supplicio afficere, Pyladi parcere vellet, tum illud consequebatur, quod quoties agatur, toties non solum ad laudem et ad decus natos institutosque commoveri, sed tota cavea clamores vulgi atque imperitorum excitari scribit Cicero." Et deinde: „Quam postea occasionem nacti cum Iphigenia aufugerint Orestes et Pylades, ablato Deae signo, non uno modo enarrare Pacuvio licuit." Speramus tamen, aliquanto plura, et in nonnullis rebus veriora, ex ipsis fragmentis attente consideratis elici posse.

81) l. l. p. VI.

Scenam Dulorestis apud Tauros esse liquet e Cicerone de Finibus V, 22: „Qui clamores vulgi, atque imperitorum excitantur in theatris, cum illa dicuntur? *Ego sum Orestes*, contraque ab altero, *Immo enimvero ego sum, inquam, Orestes.* Cum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique regi: *ambo sic una enicarier precamur;*" si conferas cum Laelio cap. 7: „Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula, cum, ignorante rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur: Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret?" Nam regem illum Thoantem esse recte divinarunt complures. Sed quo statu Orestes in Tauris versetur, ambiguum est. Ac principem quidem locum in quaestione de Oreste servo (huc enim pertinere nomen fabulae Dulorestem iudicavimus cum Naekio) occupat fragmentum a Nonio servatum v. *itiner* [82]), quod apud Mercerum sic habet:

Delphos venum pecus ecunde abstabula ac itiner contuli.

Quae etsi mendis inquinata sunt non facile abstergendis, vix tamen potuerunt ab alio quoquam proferri, quam ab ipso Oreste; et hoc certe ex illis sumere licet, Orestem

---

82) Fr. Both. 21. nobis XIII.

narrare Delphos se venum pecus egisse; hoc est, servili conditione aliquando fuisse. Primum igitur hoc quaerendum, feceritne illud Orestes re vera, an simulet tantum. Ante parricidium oraculum eo habitu illum adiisse cur statuamus, causa plane nulla est; inducitur enim ubique apud Strophium degens non humili conditione, immo apud Sophoclem τεθριπποτρόφος est. Post matrem interfectam cum iterum Apollinem adiit, servili statu Delphos eum petivisse possit quispiam opinari. Nam Aeschylea quidem sublimitas non potuit talia tolerare; quippe huic sufficiebat, Orestem, qui summas aerumnas sibi imminere non ignorabat, post patratum parricidium Furiis agitari; sed interea rex esse non desinit, choro indicante (Choeph. v. 1040 sqq.):

„ἀλλ' εὖ γ' ἔπραξας, μήτ' ἐπιζευχθῇς στόμα
φήμαις πονηραῖς, μήτ' ἐπιγλωσσῶ κακά,
ἐλευθερώσας πᾶσαν Ἀργείην πόλιν,
δυοῖν δρακόντοιν εὐπετῶς τεμὼν κάρα."

et 1061 sq.

„ἀλλ' εὐτυχοίης, καί σ' ἐποπτεύων πρόφρων
θεὸς φυλάσσοι καιρίοις ἐν συμφοραῖς."

Hoc tamen ipsum ab Euripide potissimum novatum est (ac praebet sane locum ea res ad affectus vehementissime commovendos), ut Orestes non Furiis tantum, sed civium

suffragiis eiectus ac proscriptus ostendatur; quidni igitur servus accesserit ad Apollinem, Pyladis monitu eodemque comite, quem et ipsum Strophius pater extorrem voluerat esse (Eurip. Orest. 755.):

„Στρόφιος ἤλασέν μ' ἀπ' οἴκων φυγάδα θυμωθεὶς πατήρ."

Si quis tamen dicat, Orestem servili conditione apud Tauros simulata haec narrare, non difficile est ad reperiendum cui dixerit et quo consilio. Dixit haud dubie ante agnitam sororem: Primum enim vix arbitror Pacuvium, cum Euripidis Iphigeniam Tauricam legeret, potuisse fugere, quam prudenter ille instituisset, ut Orestes matris caedem, postquam Iphigenia ipsum agnovit, quam paucissimis verbis non explicet, sed significet; sed a Pacuvio omnes res post Agamemnonem occisum gestae multo fusius quam apud Euripidem explicantur; ac necessarium sane hoc erat inter Romanos spectatores. Huic igitur narrationi locum non alium possumus tribuere, quam in ea scena, quam ante sororem agnitam singulis versibus artificiose alternantibus Euripides composuit; Pacuvium aliter instituisse rem patebit infra. Sed, inquiet quispiam, quid attinebat, servum illum, si modo servili habitu Orestes incedit, suum Delphos iter commemorare? Nempe Pacuvius hoc artificio usus

est, ut Iphigeniae insaniam suam Furiarumque impetum narraret Orestes: Orestem, aiebat, vidi tum, cum Delphis forte fortuna versabar. Vides ex hoc versu paene necessario consequi, in scenam prodire Orestem servum, adiuvante fabulae nomine; huic enim titulo vix quisquam crediderit satis fieri hac ipsa re, quod Orestes post necem matris per aliquod tempus servum vixisse se referat; tum enim a pusilla re, non ab ipso argumento nomen fabulae inditum esset.

Attamen abhorret quodammodo animus ab eo, ut Orestem servili conditione in scenam prodire, operamque servilem praestare credam. Itaque cum Euripides in Iphigenia Taurica pastorem haec narrantem inducat (v. 246 sqq.):

„ἄλλος δέ τις μάταιος, ἀνομίᾳ θρασύς,
ἐγέλασεν εὐχαῖς, ναυτίλους δ' ἐφθαρμένους
θάσσειν φάραγγ' ἔφασκε, τοῦ νόμου φόβῳ,
κλύοντας, ὡς θύοιμεν ἐνθάδε ξένους“ —

haec verba ansam dare potuerunt aliis poëtis, ut Orestem re vera naufragium ibi fecisse repraesentarent, quo maiorem miserationem et exspectationem auditoribus moverent. Eiusque rei indicium in verbis Pacuvii ipsius tenemus, quae acute Naekius huc advocavit. Nam auctor librorum ad Herennium (II, 23.) haec habet:

„— Infirma ratio est, quae non neces-

sariam causam affert expositionis, velut Pacuvius:

Fórtunam insanam ésse et caecam et brútam perhibent phílosophi,
Sáxique instar ésse globosi práedicant volúbilem;
'Ideo, quo saxum ímpulerit fors, cádere eo Fortunam aútumant.
Caécam ob eam rem esse íterant, quia nihil cérnat, quo sese ápplicet.
'Insanam autem aiúnt, quia atrox, íncerta, instabilísque sit.
Brútam, quia dignum átque indignum néqueat internóscere.
Súnt autem alii phílosophi, qui cóntra Fortunám negant
'Esse ullam, sed témeritate ómnia regier aútumant.
'Id magi' veri símile esse usus reápse experiundo édocet.
Vélut Orestes módo fuit rex, módo mendicus fáctus est:
Naúfragio res cóntigit nempe: érgo haud Fortuna óbtigit.

Nam hic Pacuvius infirma ratione utitur, cum ait, verius esse temeritate, quam Fortuna res regi: nam utraque opinione philosophorum fieri potuit, ut is, qui rex fuisset, mendicus fieret." Hos versus e Pacuvii Duloreste petitos esse vidit primus Scaliger (ad

Tibull. I, 6, 34.); Naekius addit, Choro inscriptos fuisse „simile et re, et oratione, et metro ἐπεισόδιον illi, quod ex Ennii Iphigenia in Aulide est apud Gellium XIX, 10.“ Idem alio loco (Dissertat. p. V.): „Quid caussae fuerit, cur ad Hermionam Pacuvii quam ad Dulorestem maluerint versus istos referre Delrius, Scriverius, Vossius, nescimus.“ Idem e Luciano [83]) ostendit, traditum esse a nonnullis naufragium Orestis apud Tauros. Non dubitamus viro eruditissimo adstipulari. Neque tamen inde concludere licet, quod Naekius addit (l. l. p. VI.): „servili conditione hominem, non Graecum origine, se esse simulat. Sic mendici victu: nam vitam concesserant: vivit inter barba-

83) Toxari p. 57. et p. 62. Bip. Vol. VI. (ed. Reitz. p. 112.): „— ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ νεὼ τὰ αὐτὰ, ὁπόσα ἡ στήλη δηλοῖ, γραφαῖς ὑπὸ τῶν παλαιῶν εἰκασμένα δείκνυται· πλέων Ὀρέστης ἅμα τῷ φίλῳ, εἶτα ἐν τοῖς κρημνοῖς διαφθαρείσης αὐτῶν τῆς νεὼς συνειλημμένος, καὶ πρὸς τὴν θυσίαν παρεσκευασμένος, καὶ ἡ Ἰφιγένεια ἤδη κατάρχεται αὐτῶν. καταντικρὺ δὲ ἐπὶ τοῦ ἑτέρου τοίχου, ἤδη ἐκδεδυκὼς τὰ δέσμα γέγραπται, καὶ φονεύων τὸν Θόαντα, καὶ πολλοὺς ἄλλους τῶν Σκυθῶν· καὶ τέλος ἀποπλέοντες, ἔχοντες τὴν Ἰφιγένειαν, καὶ τὴν θεόν. οἱ Σκύθαι δὲ, αλλως ἐπιλαμβάνονται τοῦ σκάφους ἤδη, πλέοντες ἐκκρεμαννύμενοι, εἶτ' οὐδὲν ἀνύσαντες, οἱ μὲν αὐτῶν τραυματίαι, οἱ δὲ καὶ δέει τούτου, ἀπονήχονται πρὸς τὴν γῆν cet.“ Alio loco Lucianus Euripidem omnino sequitur: (Amor. tom. II. p. 450. ed. Reitz. 1743, 4.) — — „ἡνίκα γοῦν ἐκρίθη θατέρου μένοντος ἐπὶ τῷ φονευθῆναι, τὸν ἕτερον ἐς Μυκήνας ἀπιέναι, κομιοῦντα γράμματα, μένειν ὑπὲρ ἀλλήλων ἀμφότεροι θέλουσιν, ἑκάτερος ἐν θατέρῳ ζῶντι ζῆν ἑαυτὸν ἡγούμενος. ἀπωθεῖται δὲ τὰς ἐπιστολὰς Ὀρέστης, ὡς Πυλάδου λαβεῖν ἀξιωτέρου cet.“

ros.“ Repugnat enim illis „non Graecum origine“ aperte versus Pacuvii, etsi non ex Duloreste allatus (Cic. de nat. Deor. II, 36. — ap. Both. 39. nobis 9.):

Graiúgena: de isto áperit ipsa orátio.

qui menda quidem non caret, sed sine dubio expressus est ex illo Eurip. Iph. Taur. 236:

Ἕλληνες· ἓν τοῦτ᾽ οἶδα, κοὐ περαιτέρω.

Ac ne dubites, hanc Iphigeniae Euripideae partem Pacuvio ante oculos fuisse, statim v. 356 sqq. conversos a Pacuvio esse vidimus. Hinc licet profecto statuere, etsi naufragium fecerint amici, introitum tamen fabulae similem Euripideo fuisse, nisi quod Orestes de rebus hucusque gestis summatim exposuisse videtur, ne quae de caede matris a se perpetrata Romanis audientibus narranda erant, coram Iphigenia nimis verbose proferrentur; nam etsi ipsa apud Euripidem (v. 544.) caedem probat:

ὡς εὖ κακὸν δίκαιον εἰσεπράξατο.

et fortius etiam apud Pacuvium ait (Both. 29. nobis 17.):

'Utinam nunc matréscam ingenio, ut meúm
patrem ulcisci queam!

Orestes tamen ipse (Eurip. v. 895. 897.):

σιγῶμεν αὐτά· πατρὶ τιμωρῶν ἐμῷ.
ἔα τὰ μητρός· οὐδέ σοι κλύειν καλόν:

et ad eandem sententiam licet referre Pacuvianum (Both. 13. nob. 4.):

— Quid? quondam ét mihi
Pigét paternum nómen, maternúm pudet
Profári —

Haec igitur cum non potuerint non esse narrata, exordio adscribamus licet; unde quodammodo duplex exsistit prologus, alter Iphigeniae, quo res Aulide gestas exposuit (nam quae apud Euripidem primum locum obtinent, de inferiis Oresti agendis, ea Pacuvium non recepisse crediderim, quippe cui multo uberior materia tractanda esset, ut infra, cum de exitu fabulae dicemus, apparebit; neque Romanis spectantibus illa nimis accepta fuerint, quae apud Euripidem sunt 345 sqq.) alter Orestis. Neque vereor, ne quis hanc rationem abhorrere dicat ab eo, quod tragoediae leges postulant, ne progressus fabulae nimis diu narrationibus retineatur; hoc enim ipso nomine reprehenditur Pacuvius, quod in exordiis nimius fuit. Lucilii versus est ex libro 29. Satirarum:

„'Utrum tristis cóntorto aliquo ex Pácuviano
exórdio."

Jam cum Dulorestem ex omnibus Nostri fabulis maxime celebrem fuisse pateat, quid

vetat in hac potissimum quaeri illud, quo vituperari meruit? Immo in hac paene necessarium fuit propter varios casus, quos personae ante tempus fabula repraesentatum erant perpessae.

IV.

Haec in universum praemonenda videbantur. Accipe iam argumentum fabulae, quatenus cognoscitur ex fragmentorum successione ea quae aptissima nobis visa est.

Iphigeniae igitur e prologo sunt haec (1. 2. 3.):

I.

Respónsa explanat: mándat ne matrí fuat
Cognóscendi unquam aut cóntuendi cópia.

Explanat responsa Calchas, qui Agamemnonem iubet rem ita instituere, ne Clytaemnestra de vero consilio nuptiarum certior fiat; nam eam narrationem a Pacuvio hoc loco esse adhibitam, qua Clytaemnestra non Argis mansit, sed Aulidem accessit, docere videtur fragmentum statim sequens. Ipsis verbis similia sunt ex Aulidensi 530:

— ἃ Κάλχας θέσφατ' ἐξηγήσατο,

et 539 sqq.:

ἕν μοι φύλαξον, Μενέλεως, ἀνὰ στρατὸν
ἐλθών, ὅπως ἂν μὴ Κλυταιμνήστρα τάδε
μάθῃ, πρὶν Ἅιδῃ παῖδ' ἐμὴν προσθῶ λαβών.

Quamquam haec ab Agamemnone, Clytaemnestra iam Aulidem appropinquante, dicuntur. Bothius: „Agi videtur de Apollinis oraculo, Orestem ulcisci iubentis caedem patris, sed ita, ut vis non adhibeatur." Vix crediderim ab ipso Apolline aut ab alio quoquam oraculum illud explanari; tum enim non poterat matrem occidere filius. Neque sensum versuum ex Bothii opinione percipio. *Non cognoscit* Clytaemnestra, ni fallor, consilium; *non contuetur* filiam.

II.

Gnatám despondit, núptiis hanc dát diem.

Agitur manifesto de Iphigeniae et Achillis nuptiis. Neve haereas in vocibus *hanc diem.* Nam Clytaemnestram Achilli explicantem inducit Iphigenia (ut apud Euripidem est in Aulid. 833. sqq.)

τί φής; ἐγὼ σοὶ δεξιάν; αἰδοίμεθ' ἂν
Ἀγαμέμνον', εἰ ψαύοιμεν, ὧν μή μοι θέμις.
ΚΛ. θέμις μάλιστα, τὴν ἐμὴν ἐπεὶ γαμεῖς
παῖδ', ὦ θεᾶς παῖ ποντίας Νηρηΐδος.

III.

— Hymenaeúm fremunt
Aequáles: aula résonit crepitu músico.

Verba Euripidis sunt Iph. Taur. 355. Cave tamen hinc concludas, Clytaemnestram Argis manentem fingi, ut hoc loco est apud Euripidem:

— — — ὦ πάτερ, νυμφεύομαι
νυμφεύματ' αἰσχρὰ πρὸς σέθεν· μήτηρ δ' ἐμὲ,
σέθεν κατακτείνοντος, Ἀργεῖαί τε νῦν
ὑμνοῦσιν ὑμεναίοισιν· αὐλεῖται δὲ πᾶν
μέλαθρον· ἡμεῖς δ' ὀλλύμεσθα πρὸς σέθεν.

Pacuvius enim, qui in totius fabulae constructione tantopere discessit, quidni singulos versus receperit, aliis mutatis? Ceterum haec Iphigeniae prosopopoeia Pacuvio causa videtur fuisse, ut eodem artificio saepius uteretur. Vide fragm. 2. 6. 14.

Cum Orestes in prologo, sive mavis monologo (4—8), nomen suum necessario proferat, hoc ipsum videtur quasi haesitabundus facere:

IV.

— — Quid? quondam ét mihi
Pigét paternum nómen, maternúm pudet
Profári —

Dicat quidem aliquis, convenire his versibus Euripideos Iph. Taur. 484 sqq.:

ΙΦ. σοὶ δ' ὄνομα ποῖον ἔθεθ' ὁ γεννήσας πατήρ;
ΟΡ. τὸ μὲν δίκαιον, δυστυχεῖς καλοίμεθ' ἄν.
ΙΦ. οὐ τοῦτ' ἐρωτῶ· τοῦτο μὲν δὸς τῇ τύχῃ.
ΟΡ. ἀνώνυμοι θανόντες οὐ γελῴμεθ' ἄν.
ΙΦ. τί δὲ φθονεῖς τοῦτ', ἢ φρονεῖς οὕτω μέγα;
ΟΡ. τὸ σῶμα θύσεις τοὐμὸν, οὐχὶ τοὔνομα.

his igitur Pacuvianum Orestem adiicere nostra; at servi omnino non est de paterno maternoque nomine loqui. Itaque locum in prologo aptiorem iudico.

Quodsi recte statuimus, Orestem ea, quae ante suum in Tauros iter acta sint, narrare explicatius quam apud Euripidem, hic commodissimus locus fuerit his versibus inserendis:

V.

Páter Achivos ín Capharei sáxis pleros pérdidit.

Haec in narrationem Orestis, dum neque ille neque Iphigenia originem professi sunt, recipi non posse, apertum est; redit sane Euripides posteriori loco ad fata Mycenarum; sed absonum foret, res tam alte repeti; itaque prologo hunc versum adscribendum duximus. Sequuntur:

— — *Séd me incertat díctio: quare éxpedi.*

et:

Néc grandiri frúgum fetum pósse nec mitíscere.

Priora verba, ni fallor, Apollini se dixisse refert Orestes, cum oraculum de patre ulciscendo datum non satis percepisset. Nam apud Aeschylum quidem, cum Apollo disertis verbis occidi iusserit Clytaemnestram, Orestes ante perpetratum facinus ne haesitat

qui-

quidem dei mandatum exsequi (Choeph. 295 sqq.):

> τοιοῖσδε χρησμοῖς ἆρα χρὴ πεποιθέναι
> κεἰ μὴ πέποιθα, τοὔργον ἔστ' ἐργαστέον.
> πολλοὶ γὰρ εἰς ἓν συμπιτνοῦσιν ἵμεροι,
> Θεοῦ τ' ἐφετμαὶ, καὶ πατρὸς πένθος μέγα.

sed post caedem statim a Furiis agitatur; at Euripidi magis humanum (homines enim describere Euripidem, heroas Aeschylum, scite animadversum est) videbatur, Orestem primo de Aegistho tantum interficiendo cogitare, postea monitum a sorore, adesse Clytaemnestram eadem sorte dignam, rei atrocitate perculsum matri parcere velle; inde illud colloquium cum Electra (v. 972 sqq.):

ΟΡ. τί δῆτα δρῶμεν; μητέρ' ἦ φονεύσομεν;
ΗΛ. μῶν σ' οἶκτος εἷλε, μητρὸς ὡς εἶδες δέμας;
ΟΡ. φεῦ· πῶς γὰρ κτάνω νιν, ἥ μ' ἔθρεψε κἄτεκεν;
ΗΛ. ὥσπερ πατέρα σὸν ἥδε κἀμὸν ὤλεσεν.
ΟΡ. ὦ Φοῖβε, πολλήν γ' ἀμαθίαν ἐθέσπισας —
ΗΛ. ὅπου δ' Ἀπόλλων σκαιὸς ᾖ, τίνες σοφοί;
ΟΡ. ὅστις μ' ἔχρησας μητέρ', ἣν οὐ χρὴ, κτανεῖν.
ΗΛ. βλάπτῃ δὲ δὴ τί πατρὶ τιμωρῶν σέθεν;
ΟΡ. μητροκτόνος νῦν φεύξομαι, τόθ' ἁγνὸς ὤν.

Quid igitur obest, quominus statuamus, Pacuvium sive suopte ingenio, sive alicui poëtae Graeco obsecutum, Orestem induxisse cum ipso Apolline quasi disputantem, dubi-

tantem certe de sensu oraculi; quemadmodum in ipsius Pacuvii versu est (Periboeae fr. Both. 16.):

Fléxa, non falsa, aútumare díctio Delphís solet.

Iam vero si tale oraculum fuit, quale dat Sophocles (Electr. 35.):

χρῇ μοι τοιαῦθ' ὁ Φοῖβος, ὧν πεύσει τάχα·
ἄσκευον αὐτὸν ἀσπίδων τε καὶ στρατοῦ,
δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκους σφαγάς —

nonne potuit Orestes dubitare, utrum de matre interficienda ageretur? Vide modo Tyndarei orationem qua exponit (Eur. Or. 490.):

ἐπεὶ γὰρ ἐξέπνευσεν Ἀγαμέμνων βίον,
πληγεὶς θυγατρὸς τῆς ἐμῆς ὑπὲρ κάρα,
αἴσχιστον ἔργον· οὐ γὰρ αἰνέσω ποτέ·
χρῆν αὐτὸν ἐπιθεῖναι μὲν αἵματος δίκην
ὁσίαν διώκοντ', ἐκβαλεῖν τε δωμάτων
μητέρα, τὸ σῶφρόν τ' ἔλαβεν ἂν τῆς ξυμφορᾶς,
καὶ τοῦ νόμου τ' ἂν εἶχετ', εὐσεβής τ' ἂν ἦν.
νῦν δ' εἰς τὸν αὐτὸν δαίμον' ἦλθε μητέρι.

et quae sequuntur.

Nonne igitur Orestes dicere potuit:

VI.

— Séd me incertat díctio: quare éxpedi.

Si cui tamen quae diximus de dubitatione

Orestis minus placeant, is etiam alterum locum conferre poterit (Eur. Iph. Taur. 85 sqq.):

σὺ δ' εἶπας ἐλθεῖν Ταυρικῆς μ' ὅρους χθονός,
ἔνθ' Ἄρτεμις, σὴ σύγγονος, βωμοὺς ἔχει,
λαβεῖν τ' ἄγαλμα θεᾶς, ὅ φασιν ἐνθάδε
εἰς τούσδε ναοὺς οὐρανοῦ πεσεῖν ἄπο·
λαβόντα δ' ἢ τέχναισιν, ἢ τύχῃ τινὶ,
κίνδυνον ἐκπλήσαντ', Ἀθηναίων χθονὶ
δοῦναι τόδ'· ἐνθένδ' οὐδὲν ἐῤῥήθη πέρα·
καὶ ταῦτα δράσαντ' ἀμπνοὰς ἕξειν πόνων.

Tum dubitaverit Orestes, qui tandem fieri queat, ut simulacro Dianae Athenas asportato requiem laborum reperiat. Utut est, alterutrum videtur verum esse. Ceterum *dictionem* proprie adhiberi de oraculis apud poëtas latinos, ostendimus in notis ad hunc locum.

Alter versus:

VII.

Néc grandiri frúgum fetum pósse nec mitíscere —

aperte est de piaculo Argivae terrae sterilitatem portendentis; sed dubium est, utrum propter caedem Agamemnonis, quam in rem afferri potest Aeschylus (Choeph. 276.):

τὰ μὲν γὰρ ἐκ γῆς δυσφρόνων μειλίγματα,
βροτοῖς πιφαύσκων εἶπε, τάσδε νῷν νόσους —

an propter caedem Clytaemnestrae, quae non minus est *μίασμα χώρας*. Quaevis enim cae-

des, antequam expietur, regionem polluit. Ita Thebae peste vexantur, donec Laii mors inulta maneat.

Verba, quae post Scaligerum viri docti Duloresti adscribere consueverunt,

VIII.

— *Líqui in Aegeó freto.*

ea, si disputatione illa Naekius de naufragio Orestis apud Tauros verum assecutus est, non poterunt ex nostra esse fabula; quis enim alius dicat, nisi Orestes: (*navim* nempe) liqui in Aegeo freto? — Sed, cum de lectione etiam ambigatur, vide omnino notas.

Quodsi verum est, Chori partes fuisse in Duloreste — ac fuerunt haud dubie, etsi non tam amplae quam apud Euripidem — Chori cantus commodissime tempus illud absumserint, quo Orestes in litore conspicitur. Eam rem *nuncius* refert:

IX.

Graiúgena; de istoc áperit ipsa orátio.

Euripides ita:

Ἕλληνες· ἓν τοῦτ' οἶδα. κοὐ περαιτέρω.

Coniiciat igitur aliquis, legendum esse *Graiugenae;* ego prorsus contra censeo. Nam cum apud Euripidem Orestis Pyladisque cer-

tamen in eo versetur, uter in Tauris remanens mortem obire, uter servari velit, Pacuvius, quod manifestum tenemus ex locis supra allatis, coram Thoante voluit vitam ab utroque contemni prae solitudine; at duplex certamen non poterat institui; tum igitur Pylades per priorem fabulam κωφὸν πρόσωπον futurus erat. Hoc ut vitaret Pacuvius, nisi egregie fallor, Orestem solum captum in scenam introduxit.

Itaque adducitur Orestes in conspectum Iphigeniae, quae illum, etsi servilem statum prae se fert (nam naufragum esse scit Iphigenia), tamen eadem fere, qua apud Euripidem, ratione de sorte familiae interrogat; eamque opportunitatem arripuit Pacuvius, ut copiosam narrationem insereret; ac plurimi loci ex hac fabulae parte exstant (10—18.). Primus inter eos, qui ab editoribus in Dulorestem recepti sunt, est:

X.

Aeges ferme aderant aequore in alto ratibus repentibus.

e descriptione itineris Graecae classis Troia redeuntis, ut videntur arbitrati esse. Sed haec cum non laudentur ex nostra fabula, fortasse ne Pacuvii quidem sint, si recipere in ordinem voluerunt viri docti, monstran-

dus certe erat locus aptissimus; at hi numeri anapaestici (vid. nott.) nolunt consociari cum reliqua narratione, tetrametris trochaicis comprehensa; praeterea *Aeges* abiiciendum esse certum est.

Etiam sequentia non ex Duloreste laudantur, sed in nullam aliam Nostri tragoediam quadrant: „an Achivorum exercitus, et tot navium rectores non ita profecti sunt ab Ilio,

XI.

'Ut profectióne laeti píscium lascivíam
'Intuerentur, néc tuendi cápere posset sátietas.
'Interea prope iam óccidente sóle inhorrescít mare,
Ténebrae conduplicántur, noctisque ét nimbûm occaecát nigror;
Flámma inter nubés coruscat, coélum tonitru cóntremit;
Grándo mista imbrí largifluo súbita praecipitáns cadit;
'Undique omnes vénti erumpunt, saévi exsistunt túrbines,
Férvit aestu pélagus."

Apud Euripidem haec primum brevissime significantur (Iph. Taur. 512.):

ΙΦ. *νόστος δ' Ἀχαιῶν ἐγένεθ', ὡς κηρύσσεται;*
ΟΡ. *ὡς πάνθ' ἅπαξ με συλλαβοῦσ' ἀνιστορεῖς.*
ΙΦ. *πρὶν γάρ θανεῖν σε, τοῦδ' ἐπαυρέσθαι θέλω.*
ΟΡ. *ἔλεγχ', ἐπειδὴ τοῦδ' ἐρᾷς· λέξω δ' ἐγώ.*

Iam singulorum ducum sortes deinceps recensentur, Calchantis, Achillis, Agamemnonis; cuius fata enarrantur quidem, sed singulis versibus alternantibus; quae res ut apud Graecos moris est, ita vereor, ut Romani spectatores talia tolerarint. Hic igitur patet verissimum esse quod dicit Naekius l. c. p. VII.: „Aliquot hoc sonant fragmenta, ut vel Orestem vel Iphigeniam prius facta narrantem facile agnoscas. Et fortasse paullo, quam apud Euripidem, uberiores fuerunt hae narrationes.“

Dum Agamemnon abest, Clytaemnestra, coniugis odio abrepta, ad Aegisthi amorem sese applicat, qui, hanc praeclaram occasionem ratus patrem Thyestem ulciscendi, regimen Mycenarum a Clytaemnestra secum communicatum accipit, ac violenter exercet. Apud Aeschylum certe statim post interfectum Agamemnonem superbiam prodit (Ag. 1622 sqq.):

> Ἐκ τῶν δὲ τοῦδε χρημάτων πειράσομαι
> ἄρχειν πολιτῶν· τὸν δὲ μὴ πειθάνορα
> ζεύξω βαρείαις οὔτι μὴ σειραφόρον
> κριθῶντα πῶλον· ἀλλ' ὁ δυσφιλὴς σκότῳ
> λιμὸς ξύνοικος μαλθακόν σφ' ἐπόψεται.

Talia ubi refert Orestes, Iphigenia eum interrumpere videtur:

XII.

Eu: núnc tyrannûm nóvi temeritúdinem.

Sorori interroganti: „at Orestes ubi tum erat?“ in Phocide eum fuisse narrat servus; „eundem“, inquit, „postea vidi, cum Delphis domum redirem, Furiis agitatum Apollinisque auxilium implorantem. Talem locum hariolando assignamus illis:

XIII.

Délphos venum pécus egi: inde ad stábulad
itiner cóntuli.

Hinc ad seriem rerum gestarum redit Orestes, monitus ab Iphigenia, ut, qua re Furiarum poenas Orestes meruerit, aperiat. Tum ille: „revertitur“, inquit, „Agamemnon, Cassandram secum ducens; ea Clytaemnestrae illico suspicionem movet, adduci pellicem.“ Ita Aeschylus (Agam. 1413 sqq.):

κεῖται γυναικὸς τῆςδε λυμαντήριος,
Χρυσηΐδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ·
ἥ τ' αἰχμάλωτος ἥδε καὶ τερασκόπος,
καὶ κοινόλεκτρος τοῦδε, θεσφατηλόγος
πιστὴ ξύνευνος, ναυτίλων δὲ σελμάτων
ἰσοτριβής.

Talia autem eventura praedixerat Oeax, mortem Palamedis ulciscendi cupidus. Dictys Cretensis VI, 2: „Per idem tempus Oeax Nauplii filius, Palamedis frater, cognito Graecos ad suos remeare, Argos venit: ibi Aegialam atque Clytaemnestram falsis nunciis adversum maritos armat, praedicto ducere eos

ex Troia uxores, praelatas his: Praeterea addidere ea, queis mobile sua natura muliebre ingenium magis adversum suos incenderetur." (Cf. quae de morte Palamedis tradunt Schol. ad Eurip. Orest. 422.). Iam satis patet, quid sibi velint ista:

XIV.

Me cálvitur suspício? hoc est illud quód fore
Occúlte Oeax praedíxit —

Itaque, iam certa consilii, marito insidias struit, eumque interficit. Hanc narrationem claudit Orestes versu hoc:

XV.

Sí Priamus adésset, ipse éius commiserésceret.

Iam vero Iphigenia, non amplius reprimens agitationem animi, clamat:

XVI. XVII.

Híccine is est, quem fámae gratia ante ómnes
nobilitát viros?
'Utinam nunc matréscam ingenio, ut meúm
patrem ulcisci queam!

Qui duo versus etsi non eodem loco citantur, coniunguntur tamen commodissime.

Vides Pacuvium, qui solum Orestem hic introducere volebat, omnia illa de epistola et reliqua Euripidis artificia neglexisse, hanc ratus verisimillimam agnoscendae sororis rationem, et quae maxime ad affectus com-

movendos faceret; neque iam fore speramus, qui iustum narrationis ordinem in praecedentibus desideret.

Iam pergit Orestes brevissime narrare, non inultum esse patrem; eam ipsam ob rem eiectum se Mycenis, auctoribus Oeace aliisque hominibus Agamemnonem perosis. Hinc illa:

XVIII.

— 'Extemplo Aegisthí fidem
Núncupantes cónciebant pópulum —

cum quibus conferri merentur Euripidea (Orest. 425 sqq.):

ME. τίνες πολιτῶν ἐξαμιλλῶνταί σε γῆς;
OP. Οἴαξ, τὸ Τροίας μῖσος ἀναφέρων πατρί.
ME. ξυνῆκα· Παλαμήδους σε τιμωρεῖ φόνος.

Simul Furias fugientem Delphos se accessisse; iussisse Apollinem iter in Tauricam terram, ut simulacrum Dianae in Graeciam asportaret.

Verum enim vero difficultas nunc oritur, qua tandem ratione fugam Orestes atque Iphigenia moliti sint. Nam Iphigeniae dolosum cum Thoante colloquium acute sane Euripides excogitavit; Pacuvium discessisse ab illo, fidem faciunt hi versus:

Nam te ín tenebrica sépe lacerabó fame
Clausum, ét fatigans ártus torto dístraham — (fr. 32.).
'Illum quaero, qui ádiutatur — (fr. 24.).
'Unde exoritur, quó praesidio frétus, auxilíís quibus?
Quó consilio cónfirmatur, quá vi, cuius cópiis? (fr. 25.).

et omnium maxime haec:

a) 'Is quis est? b) Qui té, nisi illum tu óccupas, letó dabit, (fr. 28.).

quae manifesto dicuntur, cum alteruter ex amicis armatus Thoantem aggrediatur.

Itaque cum filum illud Ariadneum, quod in prioribus praebebat Euripidis Iphigenia Taurica, mox rumpatur, nihil potest amplius exspectari praeter talem fragmentorum compositionem; quae sibi ipsa non pugnet, et quam simplicissimum fabulae nexum praestet. Quae igitur reliqua sunt, ita poterunt concinnari.

Dum inter se consultant de rapiendo simulacro Orestes et Iphigenia, facile intelligunt, rem nimium quantum difficilem esse; persuaderi rem Thoanti non posse, cuius ingenium atrox et ferocem habitum ita describit Iphigenia:

'Amplus, rubicundó colore, spéctu protervó ferox,
Voce suppressá, caperato frónte, voltu túrpido.

Queritur insuper Orestes, accessisse quidem se ad vim paratum cum Pylade aliisque comitibus; sed tempestate alteram navim ab altera disiectam esse. Nam duas naves fuisse ut statuamus, postulat fere illud naufragium; ea enim navis, in qua Orestes fuerat, perierit necesse est; Pyladem tamen armatum evasisse constat; qui nisi navim etiam tum habet atque adeo socios, non potest de amico liberando et perficienda fuga cogitare. Quae si minus placent, aliam quaeso rationem comminiscere, in quam omnia fragmenta rite quadrent. Desperat igitur Orestes: ne spem quidem superesse, unquam fore, ut aufugere possint. Ecce Pylades solus advenit, servili fortasse habitu utens et ipse, clam certe advenit; ut ordinem rerum gestarum ab Euripide institutum, quo primum latentes, dein capti prodeunt amici, Pacuvius quodammodo inverterit, vel potius inter utrumque partitus sit. Pylades consolatur Orestem, suam navim salvam esse. At quominus statim simulacro correpto cum Iphigenia discedant, obstat, quod armis nunc quidem carent, in templo vero custodes sunt. Convenit igitur inter eos, ut eadem via, qua Pyladi latere contigit, ad navim redeant, armati revertantur cum sociis, Iphigenia interea templum ingrediatur, Choro silentium promittente. Haec omnia testimoniis comprobari nequeunt; sed vix poteramus aliter statuere. Nam cum alter tantum a pastori-

bus captus sit, Thoanti, ubi audivit Orestem agnovisse sororem, nequibat dubitatio oriri, uter Orestes esset; ut nunc est, statim apparebit, qui fieri potuerit.

Oreste ac Pylade ad navim, Iphigenia in templum discedentibus, solus in scena remanet chorus, Graecarum haud dubie mulierum, ad exemplum Euripidis, ac silentium pollicitus, ut idem instituit (Iph. Taur. 1045.):

θάρσει, φίλη δέσποινα, καὶ σῴζου μόνον,
ὡς ἔκ γ' ἐμοῦ σοι πάντα σιγηθήσεται·
ἴστω μέγας Ζεὺς, ὧν ἐπισκήπτεις πέρι.

Nihil tamen prohibet, quominus, sicut chorus Euripideus (1059 sqq.) de rebus quas geri modo viderant, quasi philosophentur. Inde illa verba:

XX.

Fórtunam insanam ésse et caecam et brútam perhíbent phílosophi,
Sáxique instar ésse globosi praédicant volúbilem;
'Ideo, quo saxum ímpulerit fors., cádere eo Fortunam aútumant.
Caécam ob eam rem esse íterant, quia nihil cérnat quo sese ápplicet.
'Insanam autem aiúnt, quia atrox, íncerta, instabilísque sit.
Brútam, quia dignum átque indignum néqueat internóscere.

Súnt autem alii phílosophi, qui cóntra Fortunám negant
'Esse ullam, sed témeritate ómnia regier aútumant.
'Id magi' veri símile esse usus reápse experiundo édocet.
Vélut Orestes módo fuit rex, módo mendicus fáctus est:
Naúfragio res cóntigit nempe: érgo haud Fortuná óbtigit.

Ceterum his ac similibus locis Pacuvius *docti* cognomen assecutus fuerit; quamquam haec certe Romanam, i. e. non satis concoctam philosophiam sapiunt. Attamen Fortuna cum opponatur *temeritati*, non est *casus fortuitus*, sed potius notiones Fati ac Fortunae videntur misceri.

Iam scenam ingreditur *Thoas*, e choro quaerens, ubi Iphigenia sit, ubi Graecus. Respondet Chorus, in templo esse illam; at eo intrare regi, dum cerimoniae perficiuntur, nefas est; nam intus immolanda erat victima. Sic in Euripidis Iphigenia Taurica (1121 sqq.):

ΘΟΑΣ. ποῦ 'σθ' ἡ πυλωρὸς τῶνδε δωμάτων γυνὴ
Ἑλληνίς; ἤδη τῶν ξένων κατήρξατο;
ἀδύτοις ἐν ἁγνοῖς σῶμα λάμπονται πυρί;

Rex igitur domum suam, quae in altera scenae parte est, discedit. Mox *nuncius,*

Thoantem de rebus ad navim gestis certiorem facturus, chorum interrogat, ubi rex sit (Eur. Iph. Taur. 1250.):

> ὦ ναοφύλακες, βώμιοί τ' ἐπιστάται,
> Θόας, ἄναξ γῆς τῆσδε, ποῦ κυρεῖ βεβώς;

Chorus respondet (1259 sqq.):

> ἄπιστον εἶπας μῦθον· ὃν δ' ἰδεῖν θέλεις
> ἄνακτα χώρας, φροῦδος —
> ΑΓ. ποῖ; δεῖ γὰρ αὐτὸν εἰδέναι τὰ δρώμενα.
> ΧΟ. οὐκ ἴσμεν· ἀλλὰ στεῖχε, καὶ δίωκέ νιν,
> ὅπου κυρήσας τούσδ' ἀπαγγελεῖς λόγους.

Huc pertinet Pacuvianum:

XXI.

> *Nil cóniectura quívi interpretárier,*
> *Quorsúm cervice fléxa tum conténderet.*

Tum nuncius:

> ὁρᾶτ', ἄπιστον ὡς γυναικεῖον γένος,
> μέτεστί θ' ὑμῖν τῶν πεπραγμένων μέρος.

Dein 1270 sqq.:

> ΑΓ. ὠή· χαλᾶτε κλῇθρα· τοῖς ἔνδον λέγω·
> καὶ δεσπότῃ σημήναθ', οὕνεκ' ἐν πύλαις
> πάρειμι, καινῶν φόρτον ἀγγέλλων κακῶν.
> ΘΟ. τίς ἀμφὶ δῶμα θεᾶς τόδ' ἵστησιν βοήν,
> πύλας ἀράξας καὶ φόβον πέμψας ἔσω;

Pacuviana hinc expressa sunt:

XXII.

— *Quidnam autem hoc sóniti est? quid stri-*
dúnt fores?

Iam vero nuncii oratio similis fere fuerit ei, quae apud Euripidem est, mutatis quae mutanda erant: „Navim vidimus in littore; ex ea prodiere duo adolescentes; nos primum latebras quaerere, auscultaturi; tum audivimus, etsi non vidimus, Orestem ac Pyladem esse; huc profectum esse Orestem, ut Dianae imaginem raperet, Furiarum ob caedem matris se agitantium remedium quaerens; opportunitatem iam explorasse; sororem Iphigeniam agnovisse; inde quam celerrime potui, huc accessi rem nunciaturus.“ Ex hac oratione reliquus est versus:

XXIII.

In túrba Oresti cógnita agnota ést soror.

Illum rex, „ecquis alter est?“ interrogat:

XXIV.

'Illum quaero qui ádiutatur —

dein, miratus adolescentium audaciam:

XXV.

'Unde exoritur, quó praesidio frétus, auxiliis
quibus,
Quó consilio cónfirmatur, quá vi, cuius cópiis?

Ac nuncius: „audivi sonitum armatorum virorum

rorum complurium; quamquam tuae, rex, fortitudini facillimum erit, illos conatus coërcere.“ Rex ad haec:

XXVI.

Macte ésto virtute óperaque, omenque ápprobo.

„At ubi,“ pergit, „est audax ille adolescens?“ „Huc videbatur,“ nuncius inquit, „contendere, neque longe abesse potest:“

XXVII.

Aut híc est, aut hic ádfore actutum aútumo.

Neque fallitur nuncius; auditur enim armorum strepitus, apparent cum aliquot comitibus Orestes ac Pylades, sed prior Pylades. Quo conspecto Rex:

XXVIII.

'Is quis est?
Pyl. *Qui té, nisi illum tu óccupas,*
letó dabit.

Sequuntur aliquot fragmenta, unde seriem rerum gestarum satis perspiciamus.

Dum pugnatur, Iphigenia, nemine animadvertente, prodit e templo, fratri aliquid accidisse suspicata:

XXIX.

Ubi ille ést? me miseram, quám clamos elíminat!

Vincuntur, armis exuuntur amici. Thoas igi-

tur, qui e nuncio summatim Orestis facinus acceperat, Orestem, auctorem totius consilii, punitum iri statim declarat; uter sit, quaerit. Tum Pylades:

XXX.

'Ego sum Orestes.

Or. *'Immo enimvero ego sum*
ínquam Orestes.

Inde iam altercatio amicorum, per plures fortasse versus producta. Thoas, ab Oreste non persuaderi sibi passus (nam Pyladem prius armatum conspexit, et consentaneum erat Orestem ceteros antecedere), Pyladi tanquam Oresti minatur:

XXXI.

Nam te ín tenebrica sépe lacerabó fame
Clausum, ét fatígans ártus torto dístraham —

Oresti (qui Pylades ipsi esse, et propter singularem amicitiam dignus videtur cui parcat) proponit, ut vitam sibi precetur. At ille, veniam errore Thoantis sibi concessam non accipiens *), proloquitur illa:

XXXII.

'Ambo sic una énicariér precamur.

Neque Pylades mori recusat; is enim idem,

*) Haec e Ciceronis verbis elici posse, videbis in animadversionibus, ubi, quae hic nude posuimus, demonstrata sunt.

quod Orestes, precari non potest, ut amicus secum supplicio afficiatur; hic igitur „exitus ab utroque datur conturbato errantique regi.“ Is tamen etiamtum anceps consilii haesitat. Iam vero Iphigenia — quae hucusque ante fores templi adstitisse censenda est et anxia tacuisse, dum fratrem regis errore salvum fore sperat — ubi instat periculum etiam fratrem amittendi, subito erecta in deorum voluntatem fiducia, [*oraculum Apollinis*], inquit,

XXXIII.

Nón vetet animum aégritudine ín re crepera
cónfici?

Itaque ad Thoantem accedit, non tam supplex quam religionis auctoritate illum permotura, ut non solum Oresti, iussu Apollinis huc profecto, parcat, neve amicos alterum alterius consuetudine privet: sed etiam Dianae simulacrum, deorum numini obsequens, abduci patiatur. Ex hoc cum Thoante colloquio supersunt sequentia:

XXXIV.

— *Primum hóc abs te oro, mínus inexorábilem*
Fáxis, ni turpássis vanitúdine aetatém tuam.

Respondet Thoas:

XXXV.

'Oro mi ne fléctas fandi mí prolixitúdinem. —

XXXVI.

Nónne officium fúngar vulgi, atque aégre malefactúm feram?

Iphigenia exponit, cur Orestes huc appulerit; se ipsam consilium eius adiuvare voluisse; *nam*, ait,

XXXVII.

Sí quis hac me orátione incílet, quid respóndeam?

nempe hac: „tune fratrem Furiarum ira perire patieris?“ Pyladi ipsum regem concessisse ut viveret; sed omnino parcendum esse utrique. „Perinde,“ inquit, „cruciabere male facti poenitentia, vel cum utrumque interfeceris,

XXXVIII.

Vel cum illum videas sóllicitum orbitúdine,

divulsis amicis. Deorum denique numine haec geruntur; illis noli adversari. Tu vero, Pylades,

XXXIX.

Nunc ne illum (sc. Thoantem) *exspectes, quándo amico amíciter*
Fecísti,

perfecturum, quod tibi minitabatur, supplicium.“

Hac tandem Iphigeniae oratione deiectus Thoas a crudeli consilio, amicitiam

illorum admiratus, omnia quae postulaverat Iphigenia, concedit. Ex hac Thoantis quasi peroratione supersunt fortisan hi versus:

XL.

— *ut, si ita súnt promerita véstra, aequiparare út queam*
Vέreor, nisi nunquám fatiscar fácere quod quibó boni.

V.

Haec erant, quae de universa fabulae compositione fragmentisque adornandis probabiliter videbantur disseri posse. In quibus quae testimoniis disertis certa sint, quae verisimilia ex ipsis fragmentis, quae ex arbitrio assumpta, quisquis haec legeris, intelliges; idem, quantum in hoc genere praestari possit, aeque aestimabis.

Reliquum est, ut dicatur de Naekii sententia, longe aliter statuentis apud Pacuvium has res tractatas esse. Eius enim verba sunt (l. c. p. VI.): „Quam postea occasionem nacti cum Iphigenia aufugerint Orestes et Pylades, ablato deae signo, non uno modo enarrare Pacuvio licuit." et pag. VII.: „Finem fabulae suae hunc fecisse Pacuvium aliquis opinetur, ut Thoantem interfecerit Orestes. Sane occiso Thoante aufugisse e barbarica terra Oresten cum suis, tradunt Servius (Aen. II, 116. et VI, 136.), Hyginus (fab. 261.), Lucianus (l. c.). Verum hoc ut

non alienum a Pacuvio, ita alienum est a Duloreste: scilicet interemit quidem Thoantem Pacuvius, sed alia fabula, non Duloreste." Nimirum cum Chrysen tragoediam scripserit Pacuvius, cuius argumentum hucusque creditum est e libro I. Iliadis, Naekius argumentum statuit illud, quod narrat Hygin. fab. 121, de adventu Orestis et Iphigeniae ad Sminthios, et periculum, in quod illi veniebant, ne Thoanti redderentur; tum ut agnitus fuerit Chryses iunior, Agamemnonis ex Chryseïde filius, et cum Oreste fratre Thoantem interfecerit. „Cum Chryse cohaerebat et Chryse continuabatur Dulorestes." Haec fere Naekius. Sed ut concedamus, fuisse haec in fabula Chryse — quod maxime dubium est, locoque mendoso nititur, hic tamen nequit pluribus inquiri — inde tamen non sequitur, Pacuvium in finiendo Duloreste respexisse iam ad hoc posterioris fabulae argumentum. Ita Euripidis Orestes et Iphigenia Taurica non possunt inter se necti: nam in illius fine Apollo promittit Oresti, cum ab Areopago absolutus fuerit, tum liberatum iri Furiis; in Taurica demum res ita amplificatur, ut pars Erinnyum, cui iudicium non placuisset, Orestem vexare non destiterit. Aliud exemplum luculentissimum tragoediarum non cohaerentium, quamquam argumento propinquarum, praebent Sophocleae Oedipus uterque cum Antigona. „At Chrysen deinde excipiebat Hermiona Pacu-

vii.“ Itaque V. D ni fallor, trilogiam hanc statuit *). Sed istud de Chryse et Hermiona utut est: in Duloreste Thoanti potestatem fuisse constat, ut supplicium de utroque amico sumeret; qua si usus non est barbarus, fecit aut divino imperio obsecutus (fere ut apud Euripidem Minerva monet Thoantem, ne fugientes persequatur), aut sponte; nam vi coactum facere, comitibus Oresti auxilium ferentibus, nemo cogitabit. Pepercit igitur: fugientne tamen illi, simulacrum deae invito rege rapientes? Nae istud furum es-

---

*) Etsi paulo audacius est, Romanae tragoediae trilogias vindicare, Accium tamen eousque processisse fidem paene faciunt hi tituli:

Pelopidae (partes: *Oenomaus*, *Chrysippus*, *Atreus.*)
Agamemnonidae (partes: *Clytaemnestra*, *Aegisthus*, *Erigona.*)
Persidae (partes: *Andromeda*, *Amphitruo*, *Trachiniae.*)

quibus in titulis noli mirari, quod non reperiuntur *Pelops*, *Agamemnon*, *Perseus*; haec enim nomina trilogiae universae reservanda erant; eorum vices sustinent *Oenomaus*, *Clytaemnestra*, *Andromeda*.

Ad *Thebaidem* quatuor fabulae referri possunt: *Eriphyla*, *Phoenissae*, *Antigona*, *Epigoni*; sed Antigona videtur extra trilogiam ssse.

Obscurior est *Aeneadarum* ratio; laudatur enim *Aeneadae vel Decius*; hic vero quomodo ab Aenea procreatus? Hoc tamen ipsum videtur suspicionem nostram imprimis iuvare; nam paene necessario requiritur alia fabula, in cuius personas illa vox magis quadret. Ea Romulus fortasse fuerit. Tum ad eandem trilogiam referre liceat *Brutum*.

Sed haec hactenus. Sentio enim, quam lubricum campum ingressus sim. Itaque pluribus ea de re disputare, aut mihi, aut aliis, si forte nonnullis haec arriserint, relinquo.

set, non heroum. Itaque, si parcit, imaginem simul ipse tradat, necesse est.

VI.

Talis igitur fuit Pacuvii Dulorestes. Reliquum est, ut quo anno acta sit, addamus. Nam cum Ciceronianus Laelius (cap. 7.) dicat: „Qui clamores tota cavea *nuper* in hospitis et amici mei M. Pacuvii *nova* fabula, cum cet.“, dialogus autem habitus esse fingatur eo anno, quo Scipio Africanus minor decessit, DCXXV, C. Sempronio Tuditano, M' Aquillio Coss.; in scenam prodiit Dulorestes paulo ante illos consules, vel eo ipso anno. Si quidem Cicero temporis rationem accurate habuit. Videtur tamen M. Tullius calculos computari noluisse; nam tum annum agebat Pacuvius nonagesimum primum. Atqui Cicero in Bruto (cap. 64.) hoc ipsum tamquam singulare narrat, Accium et Pacuvium iisdem aedilibus docuisse fabulam, cum Noster octoginta, Accius triginta annos natus esset; praeterea Pacuvium ultra nonagesimum annum vitam extendisse, nemo tradit.

Accedimus ad lectionem eorum versuum stabiliendam, quos recipiendos in compagem duximus; his in calce addemus alios, argumento fabulae adeo aptos, ut aut aliis aut nobis ad eam pertinere posse videantur.

FRAGMENTA DULORESTIS
CUM NOTIS.

I. (Both. Dulor. 18.)

Nonius p. 111. Mercer.: „*Fuam*, sim, vel fiam. Pacuvius Duloreste: *Responsa explanat; mandat, ne matri fuat cognoscendi usquam aut contuendi copia.*"

Duloreste] *in doloreste* Iens. Par. *) quae semper ita habent, nisi ubi aliter esse moneo.

ne matri] *me mater* Iens. Par. Steph. *ne mater* Delr. Scriv. *ne matrem* scribendum censet Voss. *ne matri*, quod iam Iun. dat, rectum putat Both. Videtur sane in libris esse. Manuscriptorum quidem librorum lectiones ad Nonium nondum quisquam collegit, quamquam scenae Romanae quidquid reliquum est, totum fere a Nonio pendet. Interim editionum quantulacunque auctoritate standum est.

usquam] *unquam* Iens. Par. Iun. Steph. Ac si hi versus eum locum occuparunt, quem supra iis assignavimus, *usquam* retineri nequit.

---

*) Adhibui Nonii editiones praeter Mercerianam has:
Nicolai Ienson. Venet. 1476. fol.
Ioannis Marchant. Paris. 1511. fol. quae simul continet Varronem de L. L. et Festum.
Hadriani Iunii. Antwerp. 1565. 8.

II. (Both. Dulor. 12.)

Nonius p. 522. Merc.: „*Diem* volunt, quum feminino genere dicimus, tempus significare; masculino, diem ipsum: Nos contra invenimus. — — Pacuvius Duloreste: *Gnatam despondit, nuptiis hanc dat diem.*

nuptiis] *nubtiis* Mercer., qui talia amat, suas etiam notas *scribsit.* Post hanc vocem distinctionem ponunt Iun. Steph., nescio cuius negligentia.

dat] *dicit* Iens. Par. Hoc librariis tribuendum videtur, qui formulam ubique obviam (ex. gr. Terent. Andr. I, 1, 75: *Placuít: despondi: hic núptiis dictúst dies.*) reponerent. *Dare diem* non adeo frequens est, qua de re dixit Duker. ad Flor. III, 3, 14. Reperitur tamen apud Cic. ad Att. I, 10 extr.: „Tulliola tibi diem dat; sponsorem appellat.“ Plin. epist. VI, 31, 9: „Reversus diem dederat“ (alii *dixerat*). cf. etiam III, 9, 32. X, 23, 3; quamquam horum sensus paulo alius est. Simile est Terentianum Andr. II, 1, 12: *Credo, ímpetrabo ut áliquot saltem núptiis prodát dies,* ubi Donatus alterum e Lucilio affert.

Despondit eiusdem generis est, e quo Nonius habet *fervit* et *fulgit*, Pacuvii ipsius versum afferens v. *fulgere correpte* (Medi 13. Both.).

III. (Both. Dulor. 4.)

Nonius p. 505. Merc.: „*Sonit* pro sonat. Accius Aeneadis aut Decio: „Clamore et gemitu templum resonit caelitum. Idem Finidis — Ennius Hectoris Lytris — Pacuvius Duloreste: — — *Hymenaeum fremunt Aequales, aura resonit crepitu musico.*

Apud Stephanum deest *aura*, nescio quo errore, nisi *Hymenaeum — musico* unum tetr. troch. putavit esse. Habent vocem Hadr. Iunius et Merc.; in Iens. et Paris. Pacuvii locus deest; eaedem interpositis *Expedibo pro expediam* etc., quae apud Merc. et Iun. paulo post leguntur, nonnihil turbant. *Aula* primus dedit Scaliger ad Varron. p. 182. Bip., cum apud Euripidem Iph. Taur. v. 355 sqq. locus, quem Noster in animo habuit, exstet simillimus:

— — Ἀργεῖαί τε νῦν
ὑμνοῦσιν ὑμεναίοισιν· αὐλεῖται δὲ πᾶν
μέλαθρον — —

Scaligerum sequuntur Delr., Scriv.; ille addit in Opinationibus: „*Aula*] adiecta vox a criticis, versus fulciendi causa.“ *Aula* pro *aura* coniici, nihil opus esse affirmat Both. Sed ego Scaligero adstipulandum censeo, donec Nonio ad libros msptos exacto apparuerit, utra lectio, an neutra, codicum auctoritate iuvetur.

IV. (Both. Dulor. 13.)

Nonius p. 424. Merc. v. *pudet* et *piget* „— Pacuvius Duloreste: *Quid, quondam et mihi Piget paternum nomen, maternum pudet Profari.*

Edd. nihil variant, nisi quod Iens. Par. omittunt omnes locos h. v. allatos, praeter Plautinum e Pseudolo et Sallustianum.

In senarios diviserunt cum Mercero Scriv. Delr. Hic addit in Opinationibus: „— *Quondam* retinui, pro *iam pridem;* superflua enim diligentia, *quoniam* substituere.“ *Quoniam* proposuerat Hadr. Iun. in marg. Reperitur sane *quondam* illo significatu prae-

senti tempori iunctum, ut apud Graecos ποτέ. Versus est apud Cic. epp. ad fam. IX, 22: *Virginem me quóndam invitam pér vim violat Iúppiter.*

Bothius ita dispescit versus:

Quíd? quóndam et mihi pigét paternum nómen, maternúm pudet
Profári.

Si prologo haec recte adscripsimus, distributio in trimetros fere necessaria. Quae versuum divisio simul eo commendatur, quod *piget* et *pudet* initio et in fine versus posita augent vim dictionis. Ceterum de verborum *piget* et *pudet* discrimine monet Nonius: „Pudet et piget hoc distat: pudet enim verecundiae est, pigere poenitentiae.“ Quae, si Orestes nostros versus profert, non nimis vera esse patet. Structurae *mihi piget* simile Horatianum illud (Sat. I, 1.):

Quid referat intra
Naturae fines viventi, iugera centum an
Mille aret?

V. (Both. Dulor. 2.)

Priscianus (lib. V, tom. 1. p. 208. Krehl. 668, l. 9. Putsch.) demonstraturus, in vocabulo *plerique que* nihil aliud esse nisi epectasin, quomodo *ce* in quibusdam pronominibus et adverbiis, ut *hisce, hosce, illisce;* affert duos versus Pacuvii, alterum e Teucro (apud Both. 22: „Periere Danai, *plera* pars pessumdata est;“ eundem dat Festus v. plera), alterum nostrum: — „Pacuvius in Doloreste: *Pater Achivos in Capharei saxis pleros perdidit.*“

Doloreste] Ita Krehl. ex Codd. Heidel. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erlang. 1. 2. Dresd. (Vide quae supra monuimus pag. 24 sq. et fr. I.) Iidem codd. dederunt *Achivos* pro *Achaeos*, verissime. Mox *Copharei* pro *Caphareis* Krehl. ex Zwicc. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. Edd. Ven. 1. 2. Mssc. Dresd. Heidelb. *Caphereis*. Codicem *Capherei* exhibentem laudat etiam Delrius in Opinationibus (ubi quod proponit, mutato verborum ordine legendum esse: *Pater in Caphareis saxis pleros Achaeos perdidit*, versum pessumdat.). Vossius in Castigg. ad Scriv. p. 112. lectione *Capharei*, quam e sola Veneta ed. cognitam habebat, reiecta, quum suus codex Msptus *Caphareis* praeberet, hoc nihilo deterius esse ait, conferri iubens Propert. libro III: (el. 5. v. 55.) „Saxa triumphales fregere Capharea puppes.“ Synizesis sane non obest; nam ut *meis* monosyllabum est (ex. gr. Terent. Ad. II, 1, 16.), ita etiam *Caphareis* trisyllabum non potest reprehendi. Sed libros mss. sequi praestabat.

Ceterum narratio illa de Caphareo Euboeae promontorio ubique fere obvia. Cf., si tanti est, Eurip. et Propert. ll. cc. Virgil. Aen. XI, 260. Ovid. Trist. I, 1, 83. Senec. Agam. 556. etc.

VI. (Both. Dulor. 3.)

Nonius p. 123. Merc.: „*Incertat*, incertum facit. Pacuvius Duloreste: *Sed ne incertat dictis. Quam rem expedi.*

Duloreste] *in Doloreste* Iens. *in Dolore* Par. Unde confirmantur quodammodo, quae de origine scripturae *dolorestes* disputavimus pag. 25. Ibi tamen notae 57. addendum exemplum positae *o* pro *u* longa.

Fonius pro *funus* e Mar. Victorin. p. 2459. enotavit Conr. Schneider. Lat. Elementarl. I. p. 30.

dictis] *dictio* Iens. Par. Iun. Steph. Delr. (nisi quod hic senarium effecturus transponit: „*Sed incertat me*," quomodo tacite dedit Scal. ad Varron. p. 181.) idque verum iudicat Voss. in Castigg. ad Scriver. p. 91. Idem p. 112. versum exhibet: „*Sed ne inc. dictio, quam rem exp.* addens: „Ita est in Mssptis et editionibus antiquis. Emendo: *Sed me i. d. qua re exp.*" Bothio edere placuit *quin rem*, ideo forsitan, ne *expedi* accusativo careret; sed ita Terent. Phorm. II, 3, 52: „*Dilúcide expedívi, quibus me opórtuit Iudícibus.*" Denique *med* scribi ad senarium explendum non opus est; quidni ex troch. tetr. sit?

Verba Orestis esse videri cum Apolline loquentis monuimus. De voce *dictio* de oraculo adhibita vide Auct. ad Herenn. II, 26: „*Apérte fatur díctio, si intélligas.*" Liv. VIII, 24: „Adcito (Pyrrho) ab Tarentinis in Italiam data dictio erat, caveret Acherusiam aquam cet." Pacuv. Periboea (Both. fr. 16.): „*Fléxa, non falsa aútumare díctio Delphís solet.*"

VII. (Both. Dulor. 23.)

Nonius p. 115. Merc. „*Grandire* est grandem facere. — — Pacuvius Duloreste: *Nec grandiri frugum fetum posse, nec mitescere.*

Idem p. 343. Merc.: „*Mitis* est tranquillus et lenis: — — — Mitis est maturus: — — — Pacuvius Duloreste: *Nec grandiri frugum fetum posse, nec mitiscere.*

fru-

frugum fetum] *frugum secum* Iens. l. 1. *secum frugem* Par. l. 1. Eaedem l. 2. *frugum foeturam*. *Frugem secum* e Non. v. *grandire* citat Steph. *frugum foetum* Steph. Delr. Cum Merc. consentit Iun.

mitiscere] Ita Merc. altero loco. Sed *mitescere* Iens. Par. Iun. Praefero tamen formam insolentiorem.

Quod Bothius verba transponit: „*posse foetum*," videtur imprudens fecisse, ut tacens facit. Ad tuendam vulgatam lectionem valet fortasse etiam illud, quod solemnis est apud antiquos Tragicos alliteratio, quam rem, cum non satis VV. DD. ad eam videantur attendisse (etsi Columna aliquot Enniana contulit exempla in editione fragmm. p. 4.), pluribus comprobare liceat. Vide sis apud ipsum Nostrum Niptr. 10. Both.:

„Cédo tamen pedém mihi, lymphis *fl*ávis *fl*avum ut púlverem
Mánibus ísdem, quíbus Ulixi saépe permulsi, ábluam,
Lássitudinémque *m*inuam *m*ánuum *m*ollitúdine."

Periboea 17:

„*T*u, múlier, *t*ege *t*e et *t*ú*t*a *t*empla Líberi."

et ibidem 19:

„Lapít *c*or *c*ura, aerúmna *c*orpus *c*ónficit."

Ex Accio, qui alliterationis imprimis amans esse videtur, adsint haec tantum exempla:

Clytaemnestra 5:

„Deúm regnator nócte *cae*ca *cae*lum e *co*nspectu ábstulit."

Epinausimache 9:

„— Scamandriam úndam *s*also *s*ánctam obtexui *s*ánguine."

ibidem 10:

„Fulgéntium *arm*ùm *arm*átus *ar*dorem óbtui.“

Idem invenias in Naevii epitaph. versu postremo:

„Oblíti sunt Romáe *l*inguá *L*atina *l*oquier.“

Adde ex eius Danae 9:

„Quín, ut quisque est méritus, *pr*aesens *pr*étium *pr*o *f*actís *f*erat.“

ex eadem 7:

„— Etiam *m*ínitas? *M*itte ea, quaé tua̓ sunt *m*age quám *m*ea.“

ex equo Troiano:

„— Nunquam hodie effúgies, quin *m*eá *m*anu *M*oriáre.“

e Lycurgo 4:

„Bipedés volucres *l*íno *l*inquant *l*úmina.“

denique ex incert. fab. 21:

„*L*íbera *l*inguá *l*oquemur *l*údis *L*iberálibus,“

ubi cum lusus verborum manifestus sit, quis credat, Naevio litterae *l* repetitionem imprudenti excidisse? Alliterationem etiam apud Plautum et Terentium passim obviam esse, non fugiet eum, qui horum fabulas attento animo versaverit.

VIII. (Both. Dulor. 1.)

Varro L. L. VI. p. 69. ed. Steph. p. 85. ed. Bip.: „Pacuvius: *Liqui in Aegeo freto.* Dictum Fretum a similitudine ferventis aquae: quod in fretum saepe concurrat aestus atque effervescat. Ae-

geum dictum ab insulis, quod in eo mari sic scopuli vocantur, a similitudine caprarum, *αἶγες.*"

Eandem originem dat Schol. Apoll. Rhod. I, 831; a certo aliquo scopulo inter Tenum et Chium, caprae simili, deducit Plin. hist. nat. IV, 11.

Pacuvius: Liqui] Ita Florentinus, Cod. Havn., Cod. B., ed. pr.; *Pacuvius: Aliqui* ed. Rholandelli, Veneta 1, Veneta 2, Aldus'. *Alicui* Sciopp. Inde Scaliger, et illi adstipulatus Delr. *Allicui* (Both. *Adlicui*). Scaligeri verba sunt: „*Alicui in A. f.* Legendum *Allicui in A. fr.* est antique dictum pro *Allexi*, ut Pellicuit pro Pellexit. De Nauplio intelligendum. Eurip. Helena v. 1140. de Nauplio: *πέτραις Καφηρείαις ἐμβαλὼν Αἰγεῖ τε*" (Matthiae sic: *π. Καφηρίσιν ἐμβ. Αἰγαίαις τ' ἐνάλοις ἀκταῖς.*).

Ac primum quidem dubitari nequit, quin Scaliger merito damnaverit *aliqui*, quod et auctoritate librorum mss. omnino destitutum est, et explicari non potest, quoniam verbo caret; hoc vero cave ita defendas ut dicas, non opus fuisse Varroni quidquam praeterea addere, cum propter solas voces *in freto Aegeo* haec attulerit; nam cur non etiam *aliqui* omiserit? Sed quod substituit Scaliger, non minus debile est; etenim ut Nauplius haec dicat (quamquam in Pacuvianis fabulis, quarum quidem tituli exstant, vix locus Nauplio fuerit), quid sibi volunt: *in Aegeo freto?* Expectabam certe: *ex* Aegaeo freto, nimirum ad Euboeam. Itaque unice verum iudico: *Liqui* (sc. navem meam) in Aegaeo freto, quisquis haec dixit; nam dolendum sane, quod nomen fabulae addere supersedit Varro. Ad Orestem certe de sua in Tauros navigatione narrantem verba referri vereor ut queant, si quidem concedas, quod posuimus, Orestem fecisse naufragium; praeterea neces-

sario statuendum esset, Pacuvium, minus perspecto situ regionum, Tauros Aegaeo mari propius admovisse; quamquam talia Romano fortasse condonari possint.

Itaque Teucri verba haec habeo, ex prologo, si libet, fabulae cognominis desumpta, quo ille explicabat, se iam Troia reducem quamquam amisso fratre appulisse Salaminem; navem reliquisse in aequore, donec patrem exoraverit.

IX. (Both. Dulor. 39.)

Cicero Nat. Deor. II, 36: „— dicaturque tam aether Latine, quam dicitur aër: etsi interpretatur Pacuvius: *hoc quod memoro, nostri caelum, Graii perhibent aethera.* Quasi vero non Graius hoc dicat. At Latine loquitur. Siquidem nos non quasi Graece loquentem audiamus. Docet idem alio loco: *Graiugena de isto aperit ipsa oratio.*"

De priore loco hic dicere nihil attinet. In altero omnes offenderunt post Hugonem Grotium (ap. Voss. p. 114.), qui ita tentabat: *Graiugenam ted esse aperit ipsa oratio.* Hoc absque dubio verum dicit Vossius; sed Euripidei versus similitudo vix patitur. Post *Graiugena* distinctionem recte posuit Bothius (eam codex etiam unus praebet), quamquam aliter intelligens: „Sic Orestes vel Pylades, rogatus cuias sit, apud Thoantem regem. Ego nihil mutem." Habet nimirum Bothius: *de istoc ap.*, cuius lectionis auctorem non reperio.

Ipsa abest a Codd. Glog. La. Fa. et M. In Cod. E. est *Graiugena de ista;* in Cod. G. *graiugena: de isto apetit iam oratio.* Codd. Red. O. et Oxf. o. *ista oratio.* Heindorf coni.: *Graiugena de*

isto aperit ipsa oratio („Graece: περὶ τούτου ὡς Ἕλληνος αὐτὴ δηλοῖ s. σημαίνει ἡ φωνή."), quod Creuzero duriusculum videtur; ipse nullam coniecturam profert. Versus tamen utcunque fulciendus est; possis igitur sic: *Graiúgena: nam de isto áperit ipsa orátio*, ut voculam *nam*, ut sexcenties, absorbuerit praecedens syllaba; praetuli tamen Bothianum *istoc*.

X. (Both. Dulor. 5.)

Pergit *Varro* loco ad n. VIII. laudato sic: „Aegeum dictum ab insulis, quod in eo mari sic scopuli vocantur, a similitudine caprarum, αἶγες. Pacuvius: (*Aeges*) *ferme aderant aequore in alto ratibus repentibus*. Aequor mare appellatum, quod aequatum, commotum vento non est. Ratis navis longa dicitur, ut Ennius etc."

Ita vulgo legitur; sed Florent., Havn., quorum summa auctoritas, nihil habent nisi *caprarum aeges ferme* etc.; ed. pr. Rholand. Ven. 1. 2. dant *caprarum aeges Pacuvius aeges ferme;* unus codex, qui lectionem ab eruditis librariis valde interpolatam exhibere solet, dat illud quod in vulg. est. Alterum *Aeges* delendum esse intellexit Scaliger. Sed si auctoritatem spectes librorum, iusta dubitatio exoritur, sintne haec Pacuvii an alius poëtae, quem Varro nominare neglexit, ut solet, ubi notos locos affert; nam e priore illo *Pacuvius* nemo colligat, hic eiusdem verba teneri. Deinde quod Bothius opinatur, *Aeges* retinendum esse, quippe in quo cardo sententiae versetur, fallitur. Nam verba, de quibus agimus, aperte non ad demonstrandam originem vocis *Aegeum mare* afferuntur, sed transitum faciunt ad explicationem

verborum *aequor* et *ratis.* Praeterea non exiguum receptae scripturae incommodum situm est in eo, quod *scopuli* non solent esse *in alto aequore.* Illud vero quod Scioppius proposuit: *αἶγις. Pacuvius Hermiona: aequore,* vix cuiquam probabile fuerit; sensit tamen ille difficultatem, quae superest, si librorum fidem sequare; nimirum desideratur illud, quid tandem *affuerit;* hoc autem nemo facile divinaverit. Denique si Pacuviana haec sunt, in Duloreste locum vix reperias. Nam e narratione Orestis (aliter enim non arbitror statui posse) de Graecis Troia redeuntibus ea ipsa, ut videtur (cf. quae supra diximus ad V, et XI), servata sunt, quae doceant, ubi classem procellae disperserint, id tum demum adiectum fuisse, cum interitus navium narrabatur. Neque numeri concinunt. Etenim nostra vix aliis quam anapaesticis concinnaveris (nisi forte choriambos statuas):

Aderánt aequore in altó ratibus
Repéntibus —

Nam neque Vossii ratio placet, transponentis:

— — *aderant*
Ferme álto in aequoré ratibus repéntibus,

neque Bothius, tetr. iamb. effecturus, *navibus* pro *ratibus* substituere debebat, „quae facile," ait, „misceantur." Nempe ipsum *ratibus* explicat Varro. In voce *ferme* aliud quid latere suspicor; nam etsi continuitas systematum anapaesticorum a latinis poëtis (non tantum a Seneca) non ita accurate servatur, ut ab hiatu sibi caveant, aegre tamen subiectum desidero. Exemplum hiatus admissi Hermannus attulit in Elemm. doctr. metr. p. 386.

Retinui tamen etiam haec verba, ne quid omisisse temere viderer.

XI. (Both. Dulor. 26.)

Cicero de divinat. I, 14: „Quid? gubernatores nonne falluntur? an Achivorum exercitus et tot navium rectores non ita profecti sunt ab Ilio,

Ut profectione laeti piscium lasciviam
Intuerentur, ut ait Pacuvius, *nec tuendi satietas capere posset?*
Interea prope iam occidente sole inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbûm occaecat nigror."

Idem de Orat. III, 39: „Sed ea transferri oportet, quae aut clariorem faciunt rem, ut illa omnia:

Inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbûm occaecat nigror,
Flamma inter nubes coruscat, coelum tonitru contremit,
Grando mista imbri largifluo subita praecipitans cadit:
Undique omnes venti erumpunt, saevi existunt turbines:
Fervit aestu pelagus:

omnia fere, quo essent clariora, translatis per similitudinem verbis dicta sunt."

Utrumque locum coniungendum esse patet. Ambigitur tamen de lectione aliquot verborum; etsi librorum nulla fere memorabilis varietas enotatur.

satietas capere posset] Haec cum metro adversentur, Gruterus coniecit *satias capere possiet* (*possit* est in codd. Oxonn. E. O.), quod recipiendum duxit Davis., cum *satias* pro *satietate* passim a veteribus usurpetur (vid. Nonium h. v. p. 172. Merc.).

At verissime Bothius monuit, *intuerentur* et *possiet* sic deinceps posita soloeca esse. Proponit igitur aut *intuantur* aut hunc verborum ordinem: *capere posset satietas;* posterius igitur supra dedi. Quamquam haeret scrupulus, an Cicero primum et secundum versus leniter immutaverit, coniunctione *ut* addita, ac Pacuvius ita fere scripserit:

[*Tum* vel simile] *profectióne laeti píscium lascíviam*
'Intuuntur, néc tuendi cápere potis est sátietas.

Praesentia certe fuisse fidem faciunt versus sequentes.

tonitru] Wieland. ad Horat. Epist. II, 1. not. 12., ubi hoc loco utitur, dedit *sonitu,* temere ut videtur.

imbri largifluo] Schütz. metro opitulaturus *largifluo imbri,* quod non necessarium.

subita praecipitans] Inter haec intrudunt *turbine* Steph. Delr. Scriv., iure damnatum a Vossio utpote huc tractum e vicinia.

fervit] *fervet* Both. cum vulgatis Cic. edd. Sed illud praeter libros (ex. gr. Oxoniens. ψ) satis tuentur loci plurimi laudati a Nonio vv. *fervit, fervere, fervat.*

XII. (Both. Dulor. 30.)

Nonius p. 181. Merc.: „*Temeritudinem* pro temeritate. Pacuvius Duloreste: *Euno tyrannum novi temeritudinem.*

Euno] *Enno* Iens. Par. *Egon'* Iun. *Egone* Steph. *Egone?* Delr. *Heu, non* Scriv.

tyrannum] *tyranni* Steph. Delr. nescio quo auctore.

Bothius: „Fortasse scribendum est: *Eu! nunc*

($\overline{nc}$, no,) t. n. t." — Coniectura non improbabilis, nec melior mihi in mentem venit. Eam igitur supra expressi.

XIII. (Both. Dulor. 21.)

Nonius p. 490. Merc.: „*Itiner* pro iter. Ennius Telepho — Pacuvius Atalanta — Idem Duloreste: *Delphos venum pecus ecunde abstabula ac itiner contuli.*

Pacuvius] Iens. Par. omittunt locum Pacuvii utrumque, et alia perturbant.

ecunde] *secundae* Iun. Steph. Delr. Scriv. *egi, unde ad stabula* libri nonnulli teste Delrio in Opinatt., quod melius paullo, sed non prorsus sincerum iudicat. Vossio legendum videtur: — — — *Delphos veni ubi, Pecus egi inde ad stabula, me ad itiner contuli.* Posse etiam octonarium construi: *Delphos ventum pecus egi, inde ad stabula, ad i. c.* ubi scilicet *Me* vel aliud simile ad sequentem versum pertinens supplendum sit. Bothius: „Malim: *p. egi; inde* (propterea) *ad stabulad* i. c." Quod *ad stabulad* posuit, omnino probandum arbitror; nihil enim librariorum erroribus magis obnoxium quam *d* illud ἐφελκυστικόν. Sed cur *inde* non simpliciter acceperit de loco, non intelligo.

XIV. (Both. Dulor. 31.)

Nonius p. 6 seq. Merc.: „*Calvitur* dictum est frustratur; tractum a calvis mimicis, quod sint omnibus frustratui: Plautus in Casina: (II, 2, 3.) *Nam ubi domi sola sum, sopor manus calvitur.* — — —

Pacuvius Duloreste: *Me calvitur suspicio: hoc est illud, quod fore occulte Oeax praedixit.*"

Vs. 2. *Oeax*] *Caeax* Iens. Par. et apud Vossium Mediol. *Aiax* Iun. (et ap. Voss. Ald.) Steph. Delr. Scriv. Hic tamen addit: „scripti recte *Oeax*.

Vs. 1. *est*] *esse* Delr. Idem transponit *fore quod*, ut in voce *fore* senarii finis sit. Eandem distinctionem exhibet Vossius in Castigatt. p. 93., idem tamen lectionem *est* retinuit, de sensu verborum nihil monens, in quo iure haesit Delr. ideoque pro *est* substituit *esse*. Aliam viam iniit Bothius, qui in textu digerit:

„— Me c. s.,
Hoc est illud, quod fore occulte O. p."

Addit in notis: „Scribas licet: — *Nisi* me calvitur s., Hoc est illud, quod praedixit Oeax occulte fore." Quod *Nisi* supplevit, minime improbandum. Vide tamen, an omni mutatione supersedere possimus, distinctione locum iuvando: *Me cálvitur suspício? hoc est íllud quód fore Occúlte Oeax praedíxit* — Senarios facere simplicius putavi; *est* et prima vocis *illud* syllaba corripiuntur, ut sexcenties.

XV. (Both. Dulor. 6.)

Servius in Aen. XI, 259: *Vel Priamo miseranda manus*] „Est autem Pacuvii, qui ait: *Si Priamus adesset, et ipse eius commiseresceret.*"

Vides Pacuvium auctorem afferri, Dulorestis mentionem non fieri. Nihilominus tamen ad Dulorestem hunc versum referre non dubito cum ceteris, quibus praeivit Scaliger ad Varr. pg. 181. Nam etsi Virgilius l. l. de Graecis universis Diomedem lo-

quentem inducit, nulli tamen alii fortius opponitur Priamus quam Agamemnoni, ut fecit Seneca in Agamemnone 514 sqq.: „*Quid fata possunt! invidet Pyrrhus patri, Aiaci Ulysses, Hectori Atrides minor, Priamo Agamemnon.*“

In hoc versu primus offendit Vossius, qui sic in Castigationibus pag. 93: „Vel τὸ *eius* vel princeps ultimae vocis syllaba furcelanda, ut Senarius fiat, vel cum Scriverio pro *ipse eius* scribe *ipsus*, quod uti simplicius ita verius censeo.“ Sed illa verba *ipse eius commiseresceret* satis tuetur Terent. Hec. I, 2, 53. allatus a Wuestemanno ap. Both.: „Ibi démum ita aegre túlit, ut ipsam Bácchidem, Si adésset, credo ibi éius commiseréscerct.“ — Bothius dedit: *Priamus si adesset, ipse eius comm.*, nihil tamen monens de correctione, quamquam auctorem alium non reperio. Bothius igitur *et* iure delevit, utpote natum e syllaba praecedente neque sensui aptum; sed transpositione opus non esse arbitror; neque enim senarius videtur esse, sed tetrameter trochaicus, cuius in diaeresi hiatus admissus est minime rarus. Vide nubem exemplorum ab Hermanno congestorum in Elementis Doctr. metr. p. 87 sq Cf. fr. 20, vs. 8. Si tamen magis placuerit transpositis *Priamus si* senarium efficere, praetulerim *eius* una syllaba efferri, quod et ipsum satis usitatum est.

XVI. (Both. Dulor. 7.)

Nonius p. 352. Merc. v. *Nobile:* „— — — Pacuvius Duloreste: *Hiccine is est, quem famae gratia ante omnis nobilitat viros?*

Hiccine is] Nonii edd. nihil variant, sed Delr.

Scriv. *Hiccine hic*, quod unde sumserint, non intelligo. Scriv. praeterea *quae*. Utrumque rectius dedit Voss. in Castigg. p. 89. Sed idem transposuit *gratia famae*, metri causa, ut videtur, recte refragante Bothio, qui dicit: „Pronuntiatum *gratia*, quasi esset *gratja*, non incurrét in numeros, neque necesse est scribi *gratia famae*." Synecphonesis illa, apud Graecos etiam exemplis affatim munita (v. Herm. in Elemm. doctr. metr. p. 53 sqq.), Latinis exemplis non eget. Immo necessarium iudico retinere ordinem qui apud Nonium obtinet, cum vis sententiae sita sit in voce *famae*. Denique *formae* pro *famae* dedit Delr. et in margine Scriv., quae Scaligeri coniectura est ad Varronem p. 248. (Wuestemanno apud Bothium monente in eandem correctionem incidit Petrus Ciacconius ad Sallust. Catil. cap. 1.; nisi Scaligerum nominare ille supersedit). Hoc cur minime probemus, exposuimus ad n. XVIII.

Omnis] Ita Merc. *Omnes* Iens. Par. *omneis* Iun.

XVII. (Both. Dulor. 29.)

Nonius p. 137. Merc.: „*Matrescam*, matris similis (Par. *matri similis*) fiam: Pacuvius Duloreste: *Utinam nunc matrescam ingenio, ut meum patrem ulcisci queam.*

nunc] *non* Par. In ceteris nulla varietas. Delr. et Scriv. illam versus divisionem ponunt, de qua Vossius l. c. p. 92.: „Non damno, si dividas post *patrem*, ut fragmentum ex senario sit, quomodo τὸ *queam* μονοσύλλαβον fiet; sed nihil etiam impedit, quo minus sit trochaicus quadratus catalecticus, ut τὸ *meum* συνίζησιν patiatur." Iambus ferri non

potest, omnis enim perit vis; est tetrameter trochaicus, quem animi motus nostro loco poscit.

XVIII. (Both. Ennii Dulor. p. 40.)

Nonius p. 90. Merc.: „*Conciere* cum perturbatione commovere. Accius Medea: *Nisi quas terrestris pontus strages conciet.* Afranius Deposito: — *Dii sunt irati tibi, Qui conciere cogites tantum mali.* Ennius Duloreste: *Extemplo Aegisthi fidem Nuncupantes conciebant populum.*“

Extemplo] *Exemplo* Iens. Par. Delr.

Aegisthi] *aegysthi* Iens. *egysthi* Par. *egisti* Iun. (idem in marg. „lego Aegysthi“) Steph. et Ald. ap. Voss., qui correxit e Mediol. Ven.

Laudantur verba, ut vides, Ennii sub nomine; qua de re diximus supra pag. 27 sq. Hieronymus Columna (ed. Ennii p. 390 sq.), qui recepit *Aegisthi,* ad explicationem loci affert Hyginum fab. 119. init., unde apparet scenam huius Dulorestis Columna iudice fuisse Argis in Agamemnonis aedibus. Vossius ad h. l. p. 23.: „Multa adeo ex Pacuvii Duloreste citant veteres, ut hoc quoque, quod unicum Ennii creditur, Pacuvii videri possit. Solum obstat veterum libb. consensus. Sed quis nescit saepicule Nonium, sive librarium eius, in huiusmodi falsum esse? Ac propterea Scaliger Pacuvii nomine adducere non dubitavit.“ Idem versus recte digessit, tetrametri finem constituens in voce *fidem.* Bothius monet: „Hoc versu dicuntur Aegisthi assectatores, qui, caeso Agamemnone, conciebant Mycenenses.“ Verius dicturus erat „caeso Aegistho,“ cui post necem Agamemnonis paruerant Mycenae. Rem conficiunt Euripidea (Orest. 425. 428 sqq.):

ME. τίνες πολιτῶν ἐξαμιλλῶνταί σε γῆς;
OP. — — — διὰ τριῶν δ' ἀπόλλυμαι.
ME. τίς δ' ἄλλος; ἤ που τῶν ἀπ' Αἰγίσθου φίλων;
OP. οὗτοί μ' ὑβρίζουσ', ὧν πόλις τανῦν κλύει.

XIX. (Both. Dulor. 8. 9. Incert. Pac. 35.)

Festus p. 521. et in fragm. p. 65.: „*Spectu* sine praepositione usus est Pacuvius in Duloreste, cum ait: *Amplus, rubicundo colore, et spectu protervo ferox.*

Amplus] Sic in Fr. Priore loco vulgo est *amplius;* sed illud habet etiam Par.

Nonius p. 204. Merc.: „*Frontem* feminino genere Virgilius ait. (Aen. VII, 417.) — Masculino Titinnius Setina: — Pacuvius: *Fronte suppressa, innato fronte, vultu turpitudo.*"

In edd. Iens. et Par. deest locus (omittunt enim totum caput „De indiscretis generibus"). Iunius dat *Voce* (unde Merc. duxerit *Fronte suppr.* oblitus est monere; *Voce* iam Voss. restituit) *s. innata fr. v. turpido.* Mercer. p. 148. annotat: „In loco Pacuvii melius vulgo *turpido,* quam in libris *turpitudo;* nisi scribendum sit *turpi, livido;*" postremis non adsentimus.

Ad utrumque hoc fragmentum, quae, quamquam diversis locis laudantur, coniungenda esse censemus, optimus dux erit Vossius, qui in Castigatt. 89. ita: „*Amplus, r. c.* (deest *et*) *sp. p. f.* — profiteor. Cum superiore vero fragm. alterum connecto hoc pacto: *Amplus — ferox, Voce suppressa, caperata fronte, vultu turbido.* Sive si forte malis: *vultu torpido.* Posteriorem versum citat Nonius, sed apud eum pro

caperata legitur *innata*. Corrupte plane; an prius fuit *irata*, quod ex glossemate potuit irrepsisse, saltem et hoc et illud respuit metrum; et quid est innata frons? [Idem p. 119. proponit, scripturae *innata* ansam dare potuisse etiam aliud glossema, ut *rugata* vel *irritata*] Tum, quod pene omnem dubitationem tollit, Varro L. L. VI. (p. 82.) disertim dicit, in Duloreste legi: *caperata fronte, a caprae fronte.*"

Paulo diversa ratio est Scaligeri ad Varron. p. 248., qui tria illa fragmenta coniunxit: *Hiccine is est* etc. (fr. 16.) *Amplus* etc. et *Caperata fronte* (nam Nonii verba v. *frontem* huc pertinere non animadvertit); quod ut fieri posset scribi voluit vs. 1. *formae.* Scaligero et in hac coniectura et locorum compositione adstipulati sunt Dacerius et tragicorum editores, excepto Bothio, qui singula separavit. Et illa quidem *Hicc.* et *Ampl.* consociari posse quis credat? Etenim tali loco haec sententia requiritur, ut, quo quis antea insignis fuerit, ei iam contraria aut facere aut pati dicatur. Ita in versu huic simillimo ex Ennii Telamone (Both. fr. 9.), cui nostrum Columna felicissime adhibuit (in Ennii ed. p. 347.):

Hiccine Telamon ille est, modo quem gloria ad caelum extulit,
Quem adspectabant, cuius ob os Graii ora obvertebant sua.

Noster versus *Hiccine* etc. in neminem alium magis quadrat quam in Agamemnonem, a quocunque est pronunciatus; at cum his, quae sensum admirantis et commiserantis exprimunt, quo modo coniungi possunt illa, quae de homine exoso, sive Aegistho, sive Thoante, cum ira certe et contemptu proferuntur?

Ceterum Enniano *gloria* defenditur simul *fama* Pacuvii adversus Scaligerum.

Exigua difficultate premuntur, quae Voss. coniungenda monuit. Nam ut de scriptura *amplius* taceam, quae sensu caret, et de particula *et*, quae coniunctis versibus tolerari non potest, a Scaligero primum deleta: Nonius Pacuvium dicit masculino genere usum esse *fronte*, cum Varronis libri consentiant in *caperata*. Sed si adstipulamur Vossio, eundem locum utrique obversari, et apud Nonium legendum esse *caperato*, non tamen necessario Varro quoque idem genus dedit; is enim non de genere hoc loco agit, sed de origine vocabuli; quamquam etiam librarii, cum de genere nihil monitum esset, ad femininum, quod vulgare est, potuerunt facile delabi. Itaque coniunctim sic legimus:

'Amplus, rubicundó colore, spéctu protervó ferox,
Vóce suppressá, caperato frónte, voltu túrpido.

Retinui *turpido*, utpote librorum scripturae *turpitudo* proximum, recte illud formatum a *turpis*, ut *gravidus* est a *gravis*. Minus placet *turbido;* etenim non illud significari videtur, Thoantis vultum tum ipsum in eam speciem mutari, sed de universo habitu accipiendum censeo. Aegisthum autem intelligi vix patiuntur Aeschylei versus Choëph. 300. *τὸ μὴ πολίτας εὐκλεεστάτους βροτῶν Τροίας ἀναστατῆρας εὐδόξῳ φρενὶ, Δυοῖν γυναικοῖν ὧδ' ὑπηκόους πέλειν. Θήλεια γὰρ φρήν· εἰ δὲ μὴ, τάχ' εἴσεται.* *Torpido* ne verum putemus, obstat opinor *spectu protervo ferox;* nam torpidus et protervus nemo facile simul fuerit. Vossius monet, „primam in *protervus* produci, contra quam posteriores solent. Sic Ennio in Telepho (Both. fr. 5.) porrecta est prima in *profiteor.*" Ipsius vocis *protervus* exempla ad-

addere poterat haec: Terent. Hec. III, 5, 53. „*Ecce aútem tu quoque próterve iracúndus es.*“ Plaut. Amphitr. II, 2, 207: „*Quaé non deliquít, decet Aúdacem esse, cónfidenter pró se et protervé loqui.* Bacch. IV, 3, 1: *Pétulans, protervo íracundo ánimo indomito incógitato.*

XX. (Both. Hermiona 2.)

Auctor ad Herennium II, 23: „— Infirma ratio est, quae non necessariam causam affert expositionis, velut Pacuvius:

Fórtunam insanam ésse et caecam et brútam perhibent phílosophi,
Sáxique instar ésse globosi praédicant volúbilem;
'Ideo, quo saxum ímpulerit fors, cádere eo Fortunam aútumant.
Caécam ob eam rem esse íterant, quia nihil cérnat, quo sese ápplicet.
'Insanam autem aiúnt, quia atrox, íncerta, instabilísque sit.
Brútam, quia dignum átque indignum néqueat internóscere.
Súnt autem alii phílosophi, qui cóntra Fortunám negant
'Esse ullam, sed témeritate ómnia regier aútumant.
'Id magi' veri símile esse usus reápse experiundo édocet.
Vélut Orestes módo fuit rex, módo mendicus fáctus est:
Naúfragio res cóntigit nempe: érgo haud Fortuna óbtigit.

Vs. 2. *Saxique — volubilem*] *Saxoque illam instare globoso pr. vol.* Gruterus, cuius nota haec est: „Male et contra libros, qui rescribunt *volubili* [Habet tamen *volubili* Erfurt.]. Interim mirandum est Mss. omnes habere *Saxique instar globosi esse volubilem*, ita sane melioris notae, hoc est originis Germanae. libri quippe Italiae quidam, aut *praedicant* interjiciunt, aut *dicunt.*" *Saxique instar globosi* dant etiam Oxonienses A. G. R. ψ et addito *esse dicunt* Turic. ap. Orell. Pro *esse volubilem* A. habet *et volubilem*, R. ψ *praedicant esse volubilem;* L., qui omnino interpolatam lectionem praebet, *Saxeoque instare globo praedicavit volubili.* Scripturam meliorum librorum VV. DD. sic transposuerunt: *Saxique esse instar gl.* metro flagitante, inserto tamen *praedicant.* Mihi lenius etiam videbatur *instar esse glob.*, ut *instare* e compendio *instar ee* ortum sit. Ceterum Lambinus dedit *Saxoque instare eam globoso pr. volubilem.*

Vs. 3. *Ideo, quo saxum*] Ita Gruterus, variam lectionem adscribens nullam. Sed in quibusdam codd. (ut in Oxoniensi illo L.) est *quia quo s.*, unde Voss. *quoquo s.* corrigit. „Sin, inquit, *Ideo quo* malis, scribe *cadere eo* [ita ap. Grut. et in plurimis libris est; pauci, ut Turic., *eo cadere; eo* omisit Lamb.] ob numeros." Bothius etiam longius a vulgata scriptura discedit, scribens: *Quia, quo, ut saxum, impulerit fors, eo cadere F. a.* His quid lucremur, non intelligo, praeter contortam structuram.

Vs. 4. *ob eam rem esse iterant*] *ob e. r. memorant* Lamb.

Vs. 5. *autem aiunt*] *illam aiunt* Both. *autem illam aiunt* Lamb.

Vs. 7. 8. *Fortunam negant esse ullam*] *Fortunam n. Miseriam e. u.* Gruterus, haec addens: „*Mi-*

seriam esse ullam — regi.) Sic editi a Victorio, nisi quod habent priore vs. *fortunam* [*fortuna* Oxon. L.]; quod modo item est in omnibus membranis nostris, quarum antiquiores plane praeferunt *Ullam esse miseritatem aut humanitatem, sed tem. omnia regi.* Vulgata vetus profert: *fortunam negent* [*negent* etiam Ox. A. L.] *ullam esse, sed tem.*" Oxoniensis A: *esse ullam miseracionem aut humanitatem*, G: *esse ullam miseriam atque humanitatem*, L: *ullam miseriam* (omisso *esse*). Vides interpolatorum temeritatem. Restituimus lectionem olim vulgatam (quam etiam Turic. exhibet), sed transpositis vocibus *esse ullam*, Graevio obsecuti, qui putabat, *miseriam miseritatem miseram* a sciolis intrusa esse, et omnino abesse debere, abesse autem a tribus codd. Both. *fortuna negant miserum esse ullum.*

Vs. 8. hiatum habet in diaeresi. Cf. fr. 15.

Vs. 8. 9. *regier autumant. Id magis*] *regi. id magis* Grut., nihil monens. Oxonn. A. G. L. ψ *regi autumant id* (L. *idque*) *magis.* Lambinus dedit *omnia autument regi. Id magis verisimile esse aiunt.* Both. etiam recepit *autumant.* Addit: „Non liquescit *regi;* vel scribe *regid.* Certe nobis ex vocabulo *regid* ortum videtur *regi id,* librariis usum *d* illius ephelcystici ignorantibus."

Vs. 9. *Magis veri simile esse usus*] Vulgo legitur (*id*) *magis verisimile aiunt quod usus; M. v. esse aiunt quod usus* Oxx. A. G. L. R. ψ. cum Lamb. *Mage veri simile aiunt quod usus* Bothius, qui versus tres postremos iambicos tetr. acatall. arbitratur. „Ad unum," inquit, „haec omnia metrum, sive iambicum, sive trochaicum, referri vix possunt: neque id fieri opus est." Quod vs. 8. dedimus *regier*, et vs. 9. recepto *esse* omisimus *aiunt quod*, Boeckhio debetur.

Vs. 10. *Velut Orestes*] *Vel. hic Or.* editores tragicorum, cuius lectionis auctorem praeter Lamb. non reperio. Hinc illud de tetram. iambico.

modo mendicus factus est.] Vossius: „fidem Palatinorum quatuor codicum [ap. Grut. reperio *Pal.* 4. et inter lineas 6.] secutus, scribo: *factu'st mendicus modo.*" Palatino accedere videtur Ox. L., qui altero *modo* carere narratur. Parum necessariam mutationem arbitror.

Vs. 11. *res contigit nempe*] *res haec cont.* editores tragicorum, Ciceronis liber, quantum video, nullus. Inde iterum tetr. iambicus. Palatini 4. 5. et inter lineas 6. Oxonienses A. G. L. R. *nempe res ista contigit* (vel *contingit*). Receptam reliqui Gruteriani videntur tueri. Distinguebatur ante Vossium post *contigit*, ut *nempe ergo* coniungeretur. Vossiana interpunctio adiuvatur, ut vidimus, a libris qui vocem transponunt; eandem recepit Both.

ergo haud Fortuna obtigit.] Mire turbant libri. Palatinus 4. et inter lineas 6. apud Grut. *ergo id non forte neque fortuna obtigit.* Pal. 5. *ergo id fluctu non forte aut fortuna obtigit.* Oxonn. A. G. L. R. ψ. *ergo id non forte aut f. o.*

Priores fragmentorum editores laudant versus hos sub Incertt. Pacuvii, Delrius refert ad eiusdem Hermionam, quem secuti sunt ceteri. Scriver. bis eos laudat, primum sub Hermiona, deinde sub Incertis Pacuvii, variantibus lectionibus. Scaliger ad Tibull. I, 70. fragmentum refert ad Dulorestem, cui adstipulatur Naekius l. c. p. V. — Vera si esset lectio: „*Velut hic Orestes,*" paene certo e Duloreste versus forent; tum enim necessarium esset, Orestem adfuisse in scena, ubi illa verba de eo proferrentur, et omnino probabile, huius ipsius sorte chorum ad-

moneri, ut de fortuna hominum cogitaret. Sed cum *hic* auctoritate destitutum sit, dubitare licet.

XXI. (Both. Dulor. 16.)

Nonius s. v. contendere p. 260. Merc.: „*Contendit*, proripuit, vel direxit significat. — — Pacuvius Duloreste: *Nihil coniectura quivi interpretarier, Quorsum flexivice contenderet.*

nihil] *Nil* Iun. in marg., Delr. Scriv. Both.
quivi] *qui* Iens.
quorsum] *quorum* Iens. Par.

Vossius posterioris versus duas proponit emendationes:

Quorsum flexifice oraculum contenderet.

alteram, quam ipse praefert:

Quo rursum flexa voce tum contenderet.

Verum vidit Vossius, *contenderet* finém esse senarii, ita ut corrupta illa vox *flexivice*, quae vulgo legitur, tres integros contineat pedes; coniecturam vero utramque, quam proposuit, nullius esse pretii, immo falsas esse, qui Nonium inspexerit, primo obtutu facile videat; docet enim, *contendere* de dirigendo et eundo, non de sensu et intellectu usurpari; quod exempla aperte ostendunt, quae laudat, ut: *Italiam contendisse* — *Romam contendere* — *Tarentum contenderet* — *qua causa huc contenditur* etc. Quare certum est, eandem significationem in Pacuvii obtinere loco, unde Vossii iam concidit opinio. Delrius in margine fortasse legendum esse dicens: *flexa via*, optime quid requiratur perspexit: sed idem addit: „alias *quorsum flexa cervice tum contenderet.*“ Quod verissimum est. Ita enim Voss.: „et fortasse *tum*

excidit ante *contenderet*, ob similem syllabam sequentem. Quod facile concedent, qui sciunt in membranis esse: *Quorsum flexâ cervice tum contenderet.*" Transpositionem persuasit Both. Ea tamen forsitan poteramus supersedere.

XXII. (Both. Dulor. 27.)

Nonius p. 491. Merc.: „*Soniti*, et *sonu*, pro sonitus et soni. Pacuvius Duloreste: *Quidnam autem hoc soniti est, quod stridunt fores?*

quod] Ita omnes edd., nisi quod Iens. Par. siglum dant. *quid* duplici interrogatione Bothius de coniectura satis probabili. Nam *sonitum stridere* nimium displicet ac paene ridiculum est; certe crepitum valvarum bene noverat Thoas.

stridunt fores] *fori stridunt* Iens. Par. *stridunt fori* Steph. Veram lectionem dedit Iun.

Ad senarium perficiendum vel initio, vel in fine deest pes; si quidem senarius fuit.

XXIII. (Both. Dulor. 35. Hermiona 3.)

Priscian. p. 887. Putsch.: „Notandum tamen, quod cognosco, cognovi, cognitum, et agnosco, agnovi, agnitum, in frequentiori usu faciunt, pro *o* penultima producta, quam vetustissimi servabant analogiam sequentes, *i* correptum adhibentes" cet. Allatis exemplis e Iuvenali, Lucano, Sallustio, pergit: „Pacuvius secundum utrumque protulit: *In turba Oresti cognita, agnota est soror.*"

Apud Steph. deest hoc fragmentum. In Corp.

Poëtt. et apud Scriver. reperitur inter Incertt. Pacuvii Tragg. — Delrius sub Hermiona hunc versum laudat. Eodem modo Bothius p. 124. iterum sub Hermiona, postquam p. 122. iam Duloresti vindicavit; cui fabulae adscribendum esse verisimillimum est. Nam in Hermiona non est soror Oresti ignota; olim Electram agnovit, sed haec vix possunt in Duloreste narrari; at ne in Hermiona quidem apte illa de rapto Dianae Tauricae simulacro repeterentur. Accedit quod Servius, quem in enarrandis Orestis fatis Pacuvium interdum respicere supra vidimus, haec habet ad Aen. II, 116: „— — translata ad Tauricam regionem regi Thoanti tradita est. Sacerdos facta Orthiae Dianae. Cum secundum statutam consuetudinem humano sanguine numen placaret, *agnovit fratrem Orestem*, qui accepto oraculo, carendi furoris causa [plane gemina exscripsimus ex eodem Servio pag. 33.] cum Pylade amico Colchos petierat; et cum his occiso Thoante, simulacrum sustulit absconditum fasce lignorum.“ Haec tamen, sive Naekianam, sive nostram de exitu Dulorestis sententiam probaveris, e Pacuvio ducta esse nequeunt; quod de Colchis dicit Servius, nisi menda subest, aperte somniat. Denique illa *turba* alia esse nisi *chori*, quem Duloresti non defuisse hinc videtur liquere, non potest. Isque mulierum fuerit necesse est, plane ut Euripideus. Praeterea, si quis vocem *agnota* premere velit, inde concludi possit, ut apud Euripidem, ita hic Orestem prius rescivisse, cum Iphigenia se loqui, quam illa fratrem adesse. Quo indicio secundum Pacuvium Orestes sororem agnoverit, non potest pro certo affirmari; quod supra posuimus, aptum iudicavimus rationi universae tragoediae nostrae, in qua nihil reperias callidae illius tranquillitatis, qua apud Euripidem utitur Iphigenia.

Pacuvio magis placuit fortiter et cum impetu omnia peragi.

XXIV. (Both. Dulor. 33.)

Nonius p. 477. Merc.: „*Adiutatur* pro adiutat. Pacuvius Duloreste: *Illum quaero, qui adiutatur.* Afranius Inimicis: *Hoc obsecro igitur agite, et me adiutamini.* Lucilius lib. XXVII: *Nec si paulo minus usuras, et magna adiutatus diu.*“

Edd. nihil differunt. Bothius: „Melius sit *adiutetur.*“ Fallitur manifesto. Nam nisi *adiutatur* esset in Pacuviano, in lemmate posuisset Nonius *adiutetur pro adiutet,* ut mos eius fert, vel *adiutari pro adiutare.* Nisi forte etiam lemma corrigit Bothius.

XXV. (Both. Dulor. 25.)

Nonius p. 262. Merc.: „*Consternari* significat deiici. Consternari rursum erigi. Pacu. in Periboea: Consternate anime, ex pectore hac et volvere Consilium subit omnes, quod de nata est modo; Qui pacto inimicis mortem, et huic vitam efferas. Idem Duloreste: *Unde exoritur? quo praesidio fretus? auxiliis quibus? Quo consilio consternatur? qua vi? cuius copiis?*“

Edd. nihil differunt in posteriore Pacuvii loco, nisi quod *consternatura* Par. *fraetus* Iens. Sed non iniuria offendit Bothius, qui pro *consternatur* scribit *confirmatur,* et in notis addit: „Depravate Nonius *Consternari — erigi.* Certa emendatione scribendum est: — — *Quo c. confirmatur*“ etc. Non male.

Verbum enim *consternari* cum nullo alio loco sensu *erigi* adhibeatur, neque ullo modo intelligi possit, unde hanc significationem acceperit, *confirmari* vero et scriptura non longe a lectione vulgata discedat et sensui aptissimum sit, quidni inde concludi potest, Nonium vel depravato Pacuvii textu usum fuisse, vel male legisse librarios. Iam Gesnerus lex. s. v. *Consternari:* „Si Nonio," inquit, „credimus, in vetusta lingua fuit pro *erigi.*"

XXVI. (Both. Dulor. 11.)

Nonius p. 342. Merc. v. *Mactare:* „— — Mactare est magis augere. — — Pacuvius Duloreste: *Macte esto virtute operaque, omenque approbo.*"

In lectione consentiunt edd. Stephanus interpungit post *operaque*, eumque sequuntur Mercerus, *Scriv.* (Ita et in Corp. Poett., ubi ultimum verbum excusum est: „approsere;" typographorum incuria, quae in hoc libro frequens est.). Delrius, qui itidem distinguit, monet in Opinatt.: „Nonne venustius legeris: *M. e. v., operáque omen approba.*" Cui Bothius adstipulatur, addens: „Putide libri: *operaque, omenque a.*" —

Equidem non mutaverim Stephanianam distinctionem; nam ne haereas in *opera* ad *virtutem* adiecta, vetat Livius X, 40: „Tu quidem *macte virtute diligentiaque esto:* ceterum qui auspicio adest, si quid falsi nunciat, in semet ipsum religionem recipit. Mihi quidem tripudium nunciatum, populo Romano exercituique egregium auspicium est." Itaque locum huic versui supra assignavi talem, ubi librorum scriptura videretur ferri posse. Attamen non premam suspicionem aliquando subnatam ob similitudinem

loci Liviani, non esse versum e Duloreste, sed tragoediae praetextatae, ex. gr. e Paulo.

XXVII. (Both. Dulor. 32.)

Nonius p. 237. Merc.: „*Autumare* est dicere. Pacuvius Periboea: Flexa, non falsa autumare (Ita Iens. *autumnare* Merc.) dictio Delphis solet: — — Autumare est sperare. Pacuvius Duloreste: *Aut hic est, aut hic adfore actutum autumo.*"

XXVIII. (Both. Dulor. 22.)

Nonius v. Occupatus p. 355. Merc.: „*Occupare* est proprie *praevenire.* — — Pacuvius Duloreste (*in doloreste* Iens. *in dolore* Par. Vide quae diximus pag. 79 inf.): *Is quis est? qui tunc si illum tu occupas, leto dabis.*"

Is quis est qui] *Ulysses est quem* in marg. proponit Iun.

tunc si illum tu] Ita etiam Iun. Steph. *si illum tu* (om. *tunc*) Iens. Par. *te ni tu illum* Delr. *tunc si tu illum* Scriv.

leto] laeto Iens. (sed Par. *leto*) *letho* Steph. Delr.

dabis] Ita etiam Iens. Par. Iun. Steph. Scriv. *dabit* Delr., itaque etiam Vossius, qui in Castigg. p. 92. Scriverii lectione (*qui tunc si tu illum o. l. dabis*) adscripta addit: „Ita Manuscripti et veteres editiones, sed puto legi debet: *Qui te nunc, ni tu illum occupas, leto dabit.* Error natus ex eo, quod nc̄ compendii ergo pro *nunc* scripsere. Possis etiam: *qui te, nisi illum tu occupas, leto dabit.* Nec displicet eorum coniectura, qui pro: *is quis est?* legunt

Aegisthus est. Unde enata festiva emendatio Scriverii, septenarium exstruentis eiusmodi: *Aegisthe, qui te, nisi tu illum o., l. dabit.* Vel, iuxta Iuniani codicis, [i. e. edit.] scripturam, in quo pro: *is quis est* legitur: *Ulysses est,* pro *Aegisthe* scribe *Ulysse.* Sed alterum praestat." Delrius: *Qui te, ni tu i. o. letho dabit.* Idem in Opinatt. addit: „Fortassis *Aegisthus est, qui* etc." Bothius Vossio obsecutus est, ut nos fecimus. Nam tenisi in tuncsi facile potuit mutari. *Dabis* cur scripserint pro *dabit*, in aprico est.

Verba sunt interrogantis et respondentis, mihique ad Thoantem iratum priora, ad iuvenum alterutrum irruentem posteriora referenda videntur. Aegisthi et Ulyssis nomina inania sunt somnia eorum, qui plurima in Duloreste narrari non intelligentes, fragmenta inde servata per totam Atridarum historiam distribuunt.

XXIX. (Both. Dulor. 15.)

Nonius p. 38. Merc.: „*Eliminare*, extra limen eiicere: Pacuvius Duloreste: *Ubi illic est? me miseram; quonam clam clam eliminat?* — — Accius Meleagro: Timide eliminor clamore, simul nota vox ad aures accidit."

Idem p. 292. Merc.: „*Eliminare* est exire. — — Eliminare rursum excludere. Pacuvius Duloreste [*in doloreste* Iens. *in dolo* Par. Cf. ad fr. 28.]: *Ubi ille est? me miseram, quoniam clamor eliminat.* Pomponius Concha: Vos istic manete, eliminabo extra aedis coniugem."

ille] Sic posteriore loco (p. 292.) omnes; priore item omnes *illic.*

quoniam] Ita Iens. Par. Iunius. Ald. ap. Voss. *quam* Iun. marg. Delr. At posteriore loco *quonam* omnes edd., quantum video, nisi quod Par. qm i. e. *quoniam*, ut Mediol. ap. Voss.

clamor] Priore loco non variant edd.

clam clam] Semel tantum *clam* Iens. Par. et ap. Vossium Mediol. *clam vos* Iun.

Vossius duplici modo locum tentat: *Ubi ille est? miseram me! quonam clam eliminat?* „Vel potius," inquit, „scribe: — *ubi Ille est? me miseram! quam clamos eliminat.* Quomodo Accius Meleagro dixit *Timide eliminor clamore.* Et confirmat lectionem hanc, quod uno in loco (nam in gemino citat Nonius) pro *clamor* scriptum *clam vos*, quod quin ex *clamos* corruptum sit dubium non est. At quod Palmerius emendabat, *quianam clamore eliminat:* id verè Palmerianum est, id est, duriusculum." Bothius probat *clamore*, retinet *quam;* is igitur subiectum verbi *eliminat* putat esse *illum*, quem mulier quaerit. Ego Vossio obtemperandum censui. *Ille* apud poëtas antiquos priorem syllabum corripere, tritum est.

XXX. (Both. Dulor. 38.)

— *Ego sum Orestes. Immo enimvero ego sum, inquam, Orestes.*

XXXII. (Non habet Both.)

— *Ambo sic una enicarier precamur.*

Omnis de his versibus disputatio pendet a tribus locis Ciceronianis, quorum primus est de Finib. V, 22: „Quid loquar de nobis, qui ad laudem et

ad decus nati, suscepti, instituti sumus? qui clamores vulgi atque imperitorum excitantur in theatris, quum illa dicuntur? *Ego sum Orestes.* contraque ab altero, *Immo enimvero ego sum, inquam, Orestes.* Quum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique regi: *ambo ergo una vivere precamur.* quoties hoc agitur, ecquandone, nisi admirationibus maximis?" Alterum locum e Laelio cap. 7. integrum dedimus pag. 37. Tertius est de Finib. II, 24: „Quid? si non modo utilitatem tibi nullam afferet, sed iacturae rei familiaris erunt faciundae, labores suscipiendi, adeundum vitae periculum: ne tum quidem te respicies, et cogitabis sibi quemque natum esse, et suis voluptatibus? vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico, ut Pythagoreus ille Siculo fecit tyranno? aut Pylades quum sis, dices te esse Orestem, ut moriare pro amico? aut si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares? et, si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non precarere? 25) Faceres tu quidem, Torquate, haec omnia" [scilicet contrarium suadente Epicureorum disciplina.]

De priore huius fragmenti parte nulla est dubitatio; neque variant lectiones. De numeris tamen ambigere licet. Possunt enim esse tres dipodiae trochaicae, deficiente quarta sive cretico:

'Ego sum Orestes ímmo enimvero ego sum ínquam Orestes —

Tum *enimvero* secundam corripiet, aut *i* pronunciando eiicietur. Cf. Terent. Eun. II, 3, 38: „P. *Incómmode hercle.* Ch. *immo énimvero infelíciter.* Adelph. II, 3, 2. *Verum énimvero id demúm iuvat, si quem aéquomst facere, is béne facit.* Andr. I, 1, 64: *Quicquam ádtinere. enimvéro spectatúm satis.*

Ibid. I, 3, 1: *Enimvéro Dáve, níl locist segnítiae neque socórdiae.*" Sed incommodum dixeris, quod alterum *ego* rhythmico accentu caret. Cuius generis non desunt exempla, ut Terent. Andr. III, 3, 1. *Si. Iubeó Chremetem. Chr. o te ípsum quaerebam. Si. ét ego te. Chr. optato ádvenis.*" ubi *ego* rhetorico accentu augendum est. Si quis tamen hic ubi summa vis in pronomine versatur, aucta per illud *inquam*, rhythmico etiam accentu aegre careat, is per me licet hiatum admittendo post *sum* (ad quem excusandum facit, ni fallor, ipsum illud *inquam* interiectum) integrum tetr. iamb. catal. constituat:

Egó sum Orestes. 'Immo enimvero egó sum, inquam, Oréstes.

Ego ultima producta minus frequens est apud comicos; vide tamen Terent. Andr. IV, 2, 19: „*Pamph. Quis vídeor? Char. miser aeque átque ego. Dav. consílium quaero. Char. fórtis.*" Ceterum *enimvero* ex utraque ratione secundam corripit.

Difficilior est altera loci Ciceroniani pars, a collectoribus fragmentorum omnino neglecta, quae editores miris modis torsit. Legitur enim vulgo: „Quum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique regi: *ambo ergo una vivere precamur.*" Quo loco subit mirari, nihil suboluisse interpretibus nonnullis de praeclaro illo amicitiae documento: „una cum amico non emori velle, sed — vivere."

Annotat ad vocem *exitus* Goerenzius: „Ex quo vel rex, hucusque dubius incertusque haerens, ex utriusque indicio verum didicisset. Hoc sensu verba ista si acceperis, sollicitanda non videntur: nam *errat* quisque, dum dubius haeret, nec prius in viam redit, nisi dubitatione soluta. Deterius igitur erit, quod Davis. *haerentique* suadet. *Exitus* autem huic *datur,* qui

devius in silvis, et quo se vertat ignarus, ab aliquo in viam perducitur. At reliquus locus, ut intt. omnes fatentur, in mendo est. Omnes primo nostri praeter binos illos, editique vett. quos vidimus *ambos* praebent; deinde pro *una vivere*, Fr. Gronovii codex *sunanegamum*, Spir. et Erl. *sunanigamum*, Bas. *summa negarim.* Davis. ex Gronovii libro, *ambo ergo una necemur, precantur:* nos autem e nostris, *ambo sic una enicarier precamur:* ut ergo, cuius loco Vien. *igitur* refert, cuique Mars. *et* addit, glossa sit a *sic;* ita enim saepius apud poetas haec particula corrumpi solet. Infinitt. autem prisci turbas ubique cient. Ad haec iam locum supra II, 24, 79. *si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non precarere?* rectius sic explicandum putamus: *si id probabile facere non posses regi,* (ad id regem consentientem non haberes) *nonne precarere, ut una necaremini.* Ita post *quo, minus* eiiciendum foret, quod non semel sic intrusum est."

Recte igitur probat lectionem *ambo sic una enicarier precamur*, etsi in textum non recepit. Sed falsum est, quod dicit „ex utriusque indicio verum didicisset." Quid enim didicerit? uter Orestes esset, non didicit. Nempe in altero Ciceronis loco est: „et *si id non probares.*" — Itaque *exitus* nihil est aliud, nisi ipsa illa precatio: *ambo sic una enicarier precamur.*

Ipsa verba Orestis ac Pyladis hic locus e libro de Fin. praebuit; alter totius scenae adornationem dabit. Nam primum illa, *ut moriare pro amico,* ostendunt, quod etiam Laeliana illa confirmant, Oresti soli moriendum fuisse; sed uterque regem aggressus erat, aut certe si illud concedere dubitas, ambo simulacrum rapturi ad Tauros appulerant; itaque nisi omnia fallunt, Thoas promiserat, Pyladi

se parsurum; idem postremis verbis mox patebit inesse.

Deinde apparet, prima illa: *Ego sum Orestes,* proferri a Pylade, cavente ne Orestes prior nomen pronunciet; nam haec ultimo loco ponit Cicero: „*te indicares.*“

Iam vero, ut postrema recte intelligantur, ab editoribus varie tentata, Bremio soli, ut videtur aliquatenus perspecta, ante omnia monendum est, particulam *non* ante *precarere* minime esse interrogativam pro *nonne,* ut plurimi acceperunt interpretes (Goerenzius inter eos), cum contrarium demonstrent exempla praecedentia (nam si *non* esset *nonne,* etiam ante *diceres, refelleres, indicares, non* ponendum erat) et loci nexus. Pergere enim constituerat: „Epicuri disciplina talia non postulat; quamquam tu quidem, vir egregius cum sis, faceres.“ Praeposuit tantummodo illa de Torquato, ne minimam quidem offensionis occasionem relicturus. Itaque si interrogationes omittimus, sensus totius loci est: Tu, Pylades si esses, diceres te esse Orestem; tu, si esses Orestes, Pyladem refelleres, ut te indicares, et si id non probares, cum amico mori posceres, ut illud nobile par amicorum fecit. — Illud „*non* precarere“ idem est ac si dixisset Cicero: „*omitteres precari.*“ Ex eo vero quod Cicero dicit *Non precarere quominus ambo necaremini,* intelligi potest a Thoante alterutri, ut vitam sibi precaretur, concessum fuisse. Etenim nisi hoc statuas, cur M. Tullius negativa oratione dixisset: *Non precarere quominus* etc. Quodsi „non precatur Orestes“ dicit, quominus ambo necarentur, necesse est, propositum a Thoante illi fuisse, ut precaretur. Alias enim Cicero potius affirmative dicere debebat: *Posceres, ut ambo necaremini.* Pyladi igitur videmus Thoantem ve-

veniam dare voluisse, commotum eius generositate, quo fortasse pertinet locus Ovidii Trist. I, 9, 27:

De comite Argolici postquam cognovit Orestis,
Narratur Pyladen ipse probasse Thoas.

Sed quum Orestem pro Pylade haberet Thoas, Oresti, qui ei Pylades videbatur, concessit ut viveret. At Orestes veniam, quae errore Thoantis sibi obtigerat, aspernatus, contra postulat: *Ambo sic una enicarier precamur,* quoniam mori mavult cum Pylade, quem certa mors manet, quam amico orbus vivere. His igitur verbis exitum dat conturbato errantique regi, i. e. haesitantis dubitationem solvit.

Iam intelligitur, quam frustra fuerint VV. DD., qui alterutrum certe locum corruptum opinati sunt. Tentarunt autem ita: Davisius priorem: *quo vos ambo necaremini, comprecarere?* Goerenzius in Addendis: „Rectius in his *minus*, post *eo* et *quo* toties a scribis inepte adiectum, delebis." Ad alterum idem ibidem: „Bremius ita legendum opinatur: *Quum autem etiam exitus ab utroque flagitatur, conturbato haerenteque rege: Ambo ergo unam necem precamur.*" Bremio igitur *exitus* est *mors*. Scaliger volebat: *cum a. e. exitus utrique datur a conturbato erranteque rege.*

Postremo numeri sunt aut tria metra trochaica e tetrametro reliqua, aut finis est tetrametri iambici.

Iam satis est: — verbum non amplius addam.

XXXI. (Both. Dulor. 10.)

Nonius p. 179. Merc.: „*Torto* pro tormento. Pacuvius Duloreste: *Nam te in tenebrica saepe lacerabo fame Clausum, et fatigans artus torto distraham.*

in tenebrica saepe] *in tenebras saepe* Iens. Par. *in tenebris saepe* Hadr. Iun. *tenebricas saepe* (om. *in*) H. Steph. (et Vossio ac Mercero referentibus Mspti et ed. Ald.) Hinc Scaliger et Merc. dederunt *in tenebrica saepe; in tenebris saeva* proponit Delr., Scaligerum sequuntur ceteri, nisi quod *sepe* dedit Both.

Optime Vossius in Castigationibus: „Valde," inquit, „metuo, ne erret Nonius, cum *torto* interpretatur *tormento;* nam quis veterum ita loquitur? Quare hoc potius dicit poeta: tibi torto distraham membra; h. e. dum torqueris; nam praeterita passiva, quia praesentibus carent Latini, saepe significationem habent Praesentis." Videtur sane vix quisquam aliter accipere potuisse; neque intelligo, qua ratione Grammaticus singularem illum usum explicuerit; nam de truncato vocabulo vix cogitandum; nisi forte ablativum *torto* putavit esse a *tortus* ita formatum, ut *senatus* facit *senato* (vid. Quintil. I, 6, 27.).

Ad vocem *tenebr. saep.* explicandam cf. Mercer. ad Non. p. 139: „*T. s.* est tenebricosus carcer, ut *Tenebrica plaga* in versibus Ciceronis ex Aeschylo Tusc. II. (cap. 8. Versus vero sunt e Sophoclis Trachiniis 1046 sqq.) Eurip. Bacch. (v. 549.): *σκοτίαις κρυπτὸν ἐν εἱρκταῖς.*" Reperitur praeterea apud Tertullian. de pall. 4, extr. *tenebrica vestis.* Postremo Varro R. R. I, 14, init. *sepem, septum,* et *sepimentum*, parum inter se differre ostendit. cf. Voss. Etymol. s. v. *Saeptum,* ubi scriptura *sepes* et *septum* nuda vocali praefertur.

XXXIII. (Both. Dulor. 19.)

Nonius p. 13. Merc.: „*Crepera* res proprie dicitur dubia; unde et crepusculum dicitur lux dubia,

et senes decrepiti dicti, in dubio vitae constituti. — — Pacuvius Duloreste: *Non vetet animum aegritudine in re crepera confici.*

aegritudine] *aegritudinem* Par.

vetet] *vetit* in Corp. Poett. typothetae error videtur, ne conferas similia *sonit* etc.

Primam dipodiam si ita dimetiendam putaveris –́ ⏑ ⏑ ⏑̇ ⏑ ⏑, hiatus erit post *animum,* ut aliquid excidisse suspiceris, ex. gr. *mi,* nisi hiatum statuas, qualis est Periboeae fr. 9: „*Bélluarum ác ferarum advéntus ne tetrét loca.*" Cf. pag. 99. 110. Praestiterit tamen ita metiri: –́ ⏑ ⏑̇ ⏑ ⏑.

Locum versui assignavimus satis opinor aptum. Possunt tamen etiam Pyladis vel Iphigeniae verba esse Orestem consolantium, monentiumque ne desperet. Subiectum desideratur; in hoc igitur supplendo (*oraculum Apollinis*) hariolati sumus.

XXXIV. (Both. Dulor. 14.)

Nonius p. 184. Merc.: „*Vanitudo* pro vanitate. — — Pacuvius Duloreste: — *Primum hoc abs te oro, nimis inexorabilem Faxis, ni turpascis vanitudine aetatem tuam.*"

oro] *pro* Par.

nimis] *ramis* Iens. Par. *ne mi* Delr. tacite, sed quo sensu non video.

ni turpascis] *inturpassis* Iens. Par. *ni turpassis* Iun. Steph. *ne turpassis* Delr. et Ald. ap. Voss.

Vossius in Castigationibus p. 90: „Puto scripserat Pacuvius:

P. h. abs ted oro ne te nimis inexorabilem
Faxis, neu t. cet.

quam emendationem Hugoni Grotio debemus.“ — Bothius scripsit: *ne turpassis.* Qui cum addit: „Vitiose Mercer: *ni turpascis,*“ de solo *turpascis* videtur agere; nam Servius ad Aen. III, 686. adnotat, veteres non raro *ni* pro *ne* scripsisse. Sed formam *turpascis* frustra defenderis analogia Futuri *escit* pro *esit* pro *erit* (Gell. N. A. XX, 1, e duod. tabb. Cic. de Legg. II, 24.); nam indicativo modo nullus hic locus.

In priore versu Grotii correctio non nimis facilis est. Lenius fuerit *minus inexorabilem;* tum carere poterimus *d* ephelcystico, tetrametrum non integrum statuentes. Aegre tamen accusativum desideraveris. Quid, si Graeco vocabulo usus sit Pacuvius?

— *nemesin exorabilem*
Faxis —

Vocabula alterius linguae, quae mutuatur Pacuvius, sunt haec: καμπτήρ (Atal. 24. Vide not. Both.). αἰθήρ (Chrys. 2. Vide supra pag. 84. Chrys. 15.). *paedagogandum* (Iliona 2.) *sceptrum* (ibid. 8.). *meretrices diobolae* (Incert. 30.). At quidni dixit *iram?* Nempe etiam sacrilegium punire constituerat Thoas.

Vanitudo est inconstantia consilii, ut apud Cic. Nat. D. II, 21.: „Nulla in coelo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest, contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia;“ ubi cum singulae verborum notiones inter se opponantur, vanitas constantiae opposita est. Thoantis inconstantia in eo posita fuerit, quod, cum antea alterutri veniam concessisset, iam ubi uterque mortem precatur, ad hunc „exitum“ accipiendum videtur proclivis.

XXXV. (Both. Dulor. 24.)

Nonius p. 160. Merc.: „*Prolixitudinem.* Pacuvius Duloreste: *Oro mi, ne flectas fandi mi prolixitudinem.*"

Prol. Pac.] *Prolixitudinem a prolixo. Pac.* Iens. Par. Iun.

flectas fandi] *flectes flandi* Iens.

fandi mi prolixitudinem] *fandi prolixitudine* Par.

Locus varie tentatus. Delr. in Opinationibus: „cur bis *mi?* quale illud flecti prolixitudine fandi? Audacter lego: *oro ne me afflictes fandi prolixitudine.*" Bothius: „Plane scribendum est: Oro *mihi*, ne *plectas* fandi *mihi* prol. Terent. Phorm. I, 2, 90: Ad precatorem adeam, qui mihi sic oret etc. *Plectas*, nectas. Hisce fortasse Tyndarus vetabat Orestem pro se dicere matricidiumque excusare. Vid. Orest. Eurip." Quod Bothius ad Tyndarum haec verba retulit, parum probabile; illius partes in Duloreste sunt nullae. Illorum *ne flectas fandi mi prolixitudinem* sensus hic est: „noli longam mihi et artificiosam orationem proferre." Ne Bothianum *plectas* desideres, cavet fragm. Perib. 16: *fléxa non falsa aútumare díctio Delphís solet.*

XXXVI. (Both. Dulor. 17.)

Nonius de numeris et casibus p. 497. Merc.: „Accusativus positus pro Ablativo. — — — Pacuvius Duloreste (*in dolo* Iens. *in doloreste* Par. vide pag. 107.): *Nonne officium fungar vulgi, atque aegre malefactum feram?*

malefactum] *madefactum* Iun. (in marg. *malef.*)

Steph. Delr. Hic addit in Opinatt.: „Quibusdam libris deest vox secunda, aliis et tertia.“ — Quid *madefactum* sibi velit, non exputo. Vossius *malefactum* servat; legendum tamen censet: „*qui* aegre mal.“ quam coniecturam Bothius recte repudiavit. Pergit Bothius: „Fuit haec fortasse manus Tragici: *Non* off. f. v., atque *aegri* m. f., quae videtur dixisse Pylades, maledictis vexatus ab Oreste insaniente. [quam in rem affert Horat. Serm. II, 3, 137 sqq.]. *Non off. f. v.*, non agam, ut vulgus solet, quod quovis maledicto offenditur. *Atque feram*, sed feram; sicut particulae coniunctivae oppositioni nonnunquam inserviunt. Vidd. interpp. Phaedri ad fab. I, 3, 2. etc.“ [ubi *atque* simili modo.]. „*Malefactum* generale nomen est, in quo etiam maledicta intelliguntur.“

Bothiana scriptura nihil lucramur praeter languidum et amico indignum sermonem. Itaque locum huic versui quaesivi, ubi nihil mutari oporteret. *Vulgi officium* noli contemptim dictum opinari; est „quod omnes homines faciunt.“

XXXVII. (Both. Dulor. 28.)

Nonius p. 124 sq. Merc.: „*Incilare* est increpare vel improbare. — — — Pacuvius Duloreste: *Si quis hac me oratione incilet, quid respondeam?*

me] *mea* Iens. Par.

XXXVIII. (Both. Dulor. 20.)

Nonius p. 146. Merc.: „*Orbitudinis* pro orbitate. — — — Pacuvius Duloreste: *Vel cum illum videas sollicitum orbitudine.*“

XXXIX. (Both. Dulor. 36.)

Nonius p. 510. Merc.: „*Amiciter* pro amice. — — — Pacuvius Duloreste: *Nunc ne illum exspectes, quando amico amiciter Fecisti.*"

ne] *te* Par. (sed Iens. *ne*).

Scriver: „Fortasse: *neillum*, i. e. nihilum." Both.: „Scribamus sane: *Nunc nehilum exspectes.*" Quid his lucremur non video. Coniecturis abstinuerim in hac lacinia, quae quo nexu posita fuerit non constat. Immo locum versui commentus sum, ubi omnia ferri possint. Si in nostra fabula illud certamen amicorum, quod Euripides repraesentat, propositum erat (quod cur non credamus, exposuimus pag. 52 seq.), in eo quoque huic versui locus est; dicat Iphigenia Pyladi: nunc, quando amico amiciter fecisti, hic supplicio te offerens dum Orestes in Graeciam redeat, ne exspectes illum hoc accepturum; immo si me audiatis, utrumque salvum praestabo.

XL. (Both. Dulor. 34.)

Nonius p. 307. Merc.: „*Fatiscere* est aperire: *fatiscere* (hoc vocab. italicis litteris Merc.) rursum deficere. Accius Epinausimache: Tamen haud fatiscar, quin tuam implorem fidem. Pacuvius Duloreste: *Ut si ita sunt promerita vestra, aequiparare ut queam, Vereor, nisi numquam fatiscar facere quod quibo boni.*"

Fatiscere] vocem sec. loco omittunt Iens. Par. (quae post *rursum* inserunt *vel*) Iun. (Iun. in marg.: „leg. *aperiri prorsum, aut*). Annotat. Merc.: „Ita [ut ipse

dedit, inserto de coniectura *fatiscere*] scripsit omnino Nonius." Immo manifesto legendum: *Fatiscere est perire: rursum deficere;* prior significatio est in versu Accii, posterior apud Pacuvium.

haud fatiscar, quin] *aut fatiscar qui* Iens. *ante fatiscat quam* Par. *ante fatiscar qui* Iun. (in marg. *haud fatiscar quin*).

nisi nunquam] Ita Merc. Iun. et apud Vossium Ald. *nisi unquam* Iens. Par. *si unquam* Iun. marg.

fatiscar] *fatiscere* Iens. Par.

quod quibo boni] *quod qui boni* Iens. Par. Iun. *quidquam quod quibo boni* Iun. marg.

Iterum *Nonius* haec exhibet p. 479. Merc.: „*Fatiscuntur* pro fatiscunt. Accius Epinausimache: Tamen haud fatiscar, quin tuam implorem fidem. Varro Antiquitate humana lib. XIV: Altera ita et (*altera aetate* scribi iubet Merc. *altera ira* habet Iun. In libris est, quod Merc. edidit.) altera vulneribus fatiscuntur. Accius Duloreste: *Vereor, si numquam fatiscar facere quod quibo boni.*

haut fatiscar quin] *aut fatiscam quin* Iens: *haud fatiscam quin* Par.

Varro etc. — *boni*] Haec omittunt Iens. Par. Habet Iun., sed Pacuvianum versum ita effert, ut priore loco in marg. posuerat. Ne Merceriana quidem lectio omnino vera; nam lemma demonstrat Varroniana verba primo loco esse ponenda, eaque non dubito sola olim hic fuisse, reliqua adiecta ab hominibus, qui meminerant etiam supra passiva exempla a Nonio dari. Hinc Accium Duloreste bearunt, cum locos in margine repertos alii initio, alii in fine apponerent.

In versu Pacuvii priore *aequiperare* Delr. Scriv. Both.; edd. Nonii in *aequiparare* consentiunt, quae forma item est fragm. inc. 3. (e Gell. N. A. XIV, 1.);

in posteriore *nisi unquam* Steph. (qui mox *quodque boni*) Both. *si unquam* Delr. *si nunquam* Scriv., qui in marg. proponit *Peream, si unquam.* — Vossius suadet: — *Ut si ita vestra sunt promerita, aequiperare ut queam, Peream, nisi nunquam fatiscar facere, quod quibo boni.*

Bothius scribendum putat: — *At* si ita s. p. *vostra*, aequiperare ut queam Vereor: nisi (h. e. sed) nunquam etc.“ Sed cum quae praecesserint ignoremus, illud *at* minime certum est. Possis etiam *Verear* scribere, quo prius *ut* referatur. Fortasse tamen *ut* tantummodo propter ea, quae interposita sunt, repetitum est. *Nisi numquam* omnino necessarium fuerit.

Verba Thoanti adscripsimus; Iphigeniam gratum animum fratri eiusque amico promittere, vel Orestem Iphigeniae ac Pyladi, minus arridet.

XLI. (Both. Dulor. 37.)

Nonius p. 23. Merc.: „*Munes* apud veteres dicebantur nonam largatia * ignota erat, sed consentientes ad ea quae amici velint. Pacuvius Duloreste: animum * quae tum largatio multis ignota erat; munificus nemo putabatur, nisi pariter volens. Lucilius lib. XXVI: Munifici comesque amicis nostris videamur viri.“

nonam largatia *] *non a largitione quae* Iens. Par. Iun. Codicis scripturam dedisse videtur Merc.

*animum * quae tum*] *Animumque cum* Iens. Par. *animumque tum* Iun.

multis ignota] *m. ignorata* Par.

comesque] *munesque* Iens. Par.

Optime Mercerus p. 97. init. in hunc Nonii locum monet, duplex erratum irrepsisse negligen-

tia dormitantis librarii, „qui sicubi verbum idem bis repetitum fuit, quaecumque intermedia fuerunt, omisit. Quomodo sexcenties peccatum in hoc opere; et notamus suis locis. Alterum, quod contrario vitio repetiit ex Sallustiano exemplo illa, largitio quae tum ignota erat. Nam certe scribsit Nonius: „Munes a veteribus dicebantur, non a largiendo, sed consentientes ad ea quae amici velint. Pacuv. Duloreste: Animumque ... Sallust. Iug. bello: nam etiam tum largitio multis i. e. In Lucillio nihil est mutandum. Septenarius integer est, quem primo consilio hexametrum voluit facere optimus Iunius.“ Sallustii locus est Iugurth. 99. In Pacuvianis Mercero eatenus adstipulor, ut ipsum illud *que* abfuisse a Pacuvio contendam; affuit tamen praeterea etiam vox *munis*, quam neque Sallustius neque Lucilius habent; fortasse dixerat *animum munem.*

Locum his assignare non potuimus; quamquam agitur in nostra fabula de amicis omnium facile celeberrimis.

APPENDIX FRAGMENTORUM DUBIORUM.

I.

Nonius s. v. *Meret*, meretur. p. 345. Merc.: „*Meret*, humillimum et sordidissimum quaestum capit. Varro Rerum Humanar. lib. XX: Qui in ordine erat, is aes militare merebat; et ob mercedem laborem vel infamiam corporis locat. Lucill. lib. j: Et mercede meret religiones. Varro Agathone Duloreste (*in agathone doloreste* Iens. Par.): Qui merita hominem, et seruum facit; unde et mercenarii, et meretrices dicuntur. Idem Eumenidibus: Primum iste, qui meret sestertios vicenos.“

Mercer. Nott. ad Non. p. 180: „— — Sequentia valde confusa sunt, ita restituenda: *Meret, humillimum et sordidissimum quaestum capit, et ob mercedem, laborem vel infamiam corporis locat, unde et mercenarii et meretrices dicuntur. Varro* etc. Separanda enim haec verba Noniana ab exemplis, quae tamen ille adstruit minus commode. Nam primum Varronis adhuc de militia est; hoc solum diversum, quod superioribus merere absolute dictum; hic plene aes merere.“

Naekius l. c. p. VIII.: „— de *Agathone* Varronis satis constat ex ipso Nonio: at eundem libellum *Agathonem Duloresten* inscriptum fuisse, quum hoc uno loco tradatur, quis credat huic uni loco? Itaque aliquid turbatum est in Nonii verbis. Ac nobis, qui praeter Popmam Not. in fragm. Varr. p. 320. Bip. neminem habeamus, qui hac de re disputaverit [Popma volebat: Δοῦλος Ἔρως ἐστί] nihil, ut ingenue fateamur, magis probabile, quam excidisse Varronis ex Agathone verba et post ea nomen *Pacuvii.* [Conferre iubet Non. v. *Munes.*] Deinde, ut errorem error creat, non multo post quam deletum est Pacuvii nomen, coeptum est scribi: *Idem Eumenidibus:* etc. Nonius enim videtur scripsisse: *Varro Eumenidibus:* etc. Pacuvio digna sunt optimumque et valde aptum in Duloreste locum invenient ista, quae Pacuvii esse coniicimus, si sic scribantur, praeeunte ex parte N. Fabro:

— *qui meritat, hominem se servum facit.*

hominem servum, ut graece: ἀνὴρ δοῦλος, et Terentius Phormione: *servum hominem caussam orare.* Credideris Dulorestem loqui, et qui factum sit, ut ad servilem conditionem depressus fuerit, exponere."

Locum corruptum esse facile adstipulamur Viro eruditissimo; etiam Varronis Dulorestem nullum esse concedimus; emendationem non persuasit; quippe non meruisse Orestem servili conditione apud Tauros, nobis videmur probasse. Praeterea de verbis „unde et mercenarii et meretrices dicuntur," longe aliter statuo quam Mercerus ac Naekius; hic enim illa verba tacite omisit. Nam Varronis Agathonem saturam partim versibus partim soluta oratione compositam fuisse ostendunt loci a Nonio inde excitati vv. *tolutim. sufflatum. vespertilio. dolitum* (eadem verba redeunt v. *caelare*). *refurare* (iterum v. *ob-*

scaenum) *virgindemiam*, versibus omnes comprehensi; sed v. *acerbum* (p. 247. Merc.) leguntur haec: „Varro in Agath.: Virgo de convivio abdicatur ideo, quod maiores nostri virginis acerbae auris Veneris vocabulis imbui noluerunt,“ quae maximam partem repetuntur v. *imbuere* (p. 521. M.). Rursus v. *suspicere* (p. 400. M.) habes: Varro Agathone: Et pueri in aedibus saepius pedibus offensant, dum recentes musteos in carnario fluitare suspiciunt.“ Quidni igitur etiam illa „*unde et mercenarii* etc. Varronis sint? At *Duloreste* quid facies? Ita scribo: *Varro Agathone* e *Duloreste:* — Pacuvii verba affert Varro, eisque explicationem subiungit. Fateor tamen, in Pacuvianis certam emendationem mihi non succurrere. Possis ita:

Qui merit (pro *meret*, ut *fervit*), *a nomine et servum facit* —, i. e. qui servum simulat.

II.

(Both. inter Incerta incertorum tragg. fr. 42.)

In fragmento *incerti grammatici*, quod Censorino annectitur, p. 2726. Putsch. versus laudatur hic, auctoris nomine non addito:

„*Tela, famuli, tela propere, sequitur me Thoas.*“

Pedem, qui deest, Lipsius ita supplet: „T. f. tela, propere *tela:* s. m. Th.“ Bothius: „T. f. tela, *tela,* propere s. m. Th.“ Addit: „Iphigeniae verba;“ scilicet Iphigenia Thoantem cum armis aggressura est, et famulo*s* habet. — Naekius ad Chrysen Pacuvii refert versum; quod ut verum esse potest, si quidem tale fuit eius fabulae argumentum, quale statuit vir eruditissimus, ita nihil impedit quominus

in nostra fabula fuerint; in qua pugnatum esse apparet. Sed Pacuviana haec esse demonstrari nequit.

III.

Naekius l. c. p. VII: „Ceterum huic descriptioni [loquitur de versibus: *Ut profectione laeti* etc.] sine dubio praemittendi sunt versus ii, quos *Cicero* habet de Divinat. I, 16.“ Ciceronis verba sunt: „Ut P. Claudius Appii Caeci filius, eiusque collega, L. Iunius, classes maximas perdiderunt, cum vitio navigassent. Quod eodem modo evenit Agamemnoni: qui cum Achivi coepissent

— *inter se strépere, aperteque ártem obterere extíspicum;*
Sólvere imperát secundo rúmore, adversáque avi.“

Cum capite praecedenti illa: „*Ut profectione laeti*“ affuerint, res admodum arridet. Priore versu deficit syllaba. Fuerit sic: *Illi inter se* etc.

IV.

(Both. Pac. Incert. 7.)

Varro L. L. p. 53. Bip.: „Iubar quod iubata. Pacuvius dicit: *Pastor exorto iubare noctis decurso itinere.*“ Idem p. 95: „Iubaris ortus significat circiter esse extremam noctem. Itaque ait Pacuvius: *Exorto iubare noctis decurso itinere.*“

Igitur *pastor*, quod priore exstat loco, hic omissum; et optime. Vox illa verbo suo carens nullum habet sensum, neque stare potest; nusquam enim ita Varro allegat. Itaque Victorius correxit, quod et Turnebus postea coniectura assecutus est, priore loco: *Pacuvianus dicit pastor;* haud dubie

vere. Et haec egregie in Dulorestem faciunt. Iphigeniae narrat pastor (βουκόλος est apud Euripidem), se *primo mane* cum aliis Graiugenam vidisse (scilicet cum greges suos ad pascendum primo mane ducerent). Matutino tempore haec omnia acta esse etiam Euripides significat, quando Iphigeniam de somnio narrantem inducit.

Longe alia Bothii ratio est. „Dederat," inquit, „ni fallor, hoc: Pacuvius dicit Pastore: *Exorto* etc. Ignota nunc ea fabula; sed quantum est, quod nescimus!"

V.

(Both. Incertt. Pac. fr. 12—15.)

Festus s. v. Manticularum p. 225. Dac.: „Manticularum usus pauperibus in nummis recondendis etiam nostro seculo fuit. unde manticulari dicebantur, qui furandi gratia manticulas attrectabant. Unde poëtae pro dolose quid agendo usi sunt eo verbo. Pacuvius: *Ad manticulandum astu adgreditur: scit enim, quid promeruerit* . . . . . *Modici manticulatur* . . . . *ita me facti oppressi iugo.* Item deinde: *Aggreditur* (Sched. p. 79: *Aggrediar*) *astu regem; manticulandum est hic mihi* (Sched. *manticul. est mihi*). Et: *Machinam ordiris novam manticula tactu, an sanctiora dicis iuraiuranda.* Plautus hoc significare videtur, quibus cotidie parvae noxae extergeantur. (Sched. frequens enim antiquis ad manus tergendas usus fuit mantelorum.)."

Locos Pacuvianos (si quidem omnes Pacuvii sunt) ingeniose, sed nimium quantum audacter tentavit Ios. Scaliger; cuius coniecturas vide sis apud ipsum.

Vossius in Castigg. p. 116., „Hugo Grotius," inquit, „emendabat: Mendicus, manticulator, ita me fati oppressit iugum. Et videtur ea dixisse Orestes, de quo idem Pacuvius ait: Velut Orestes modo fuit Rex, modo mendicus factus est." Contra Naekius ad Dulorestem referre maluit haec: „*Ad manticulandum astu aggreditor: scite quid prome, erue* [ita Scaliger pro illis: *aggreditur. scit enim quae promeruerit;* mihi verba sana videntur, ut Bothio.], et rursus: *Aggreditur* (schedae Pomponii Laeti: *aggrediar;* unde coniicias *aggredibor*) *astu regem: manticulandum est hic mihi:* optime faciunt ad Orestis cum Pylade vel ad Iphigeniae cum utroque deliberationem." *Aggredibor* etiam Bothius repperit, regem intelligens Aegisthum. Nam locum ita fere legendum censet: *Modice manticulatur: ita modo fati oppressi sumus iugo.* („Hactenus," inquit, „ni fallor, Pylades de Oreste, Aegisthum astu aggressuro, quia, si palam se ostendisset, lapidatus fuisset a populo ob matricidium.") *Aggredibor astu regem: manticulandum est hic mihi* („ut Orestae sint haec verba. Dein rursus Pylades, amicum compellans:") *Machinam ordiris novam. Manticula astu; sancta ore adice iuraiuranda* — („Et ita quidem scribere potuit Pacuvius Duloreste.").

Portentosus profecto locus, in quo idem vocabulum sine ulla causa ter cumularit poëta; in Duloreste Aegistho locum non esse vidimus. Nobis illa, *Aggredibor astu regem. manticulandum est hic mihi.*, si e Duloreste sunt, Iphigeniae videntur fuisse, de Thoante loquentis.

Sed manum de tabula.

INDEX

INDEX FRAGMENTORUM.

ERRATUM.

Pag. 59. inf. versui *Amplus* cet. praefigendus numerus *XIX*.

Berolini, formis A. G. Schadii.

Librum hunc rec. God. Hermannus in Diar. lit. Lips. 182
p. 897–908, C. Heyse in Annal. Crit. Berol. 1828. p. 486–
R. Hofmann Peerlkamp in Bibl. crit. nova Leyd. V. IV,
–155. Denique de Pacuv. Duloreste post Nackium et
lium scripsit F. G. Welcker in Mus. Rhen. Vol. IV p. 598–

